



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252




K

Th. 2365.

I


14





5
1
.

16 c

2







COMITVM

PAR

GENERE, POTENTIA, OPI-
BUS, HEROICA Q. VIRTU-
te inclytum

B. GODEFRIDVS, *Vuestphalus,*
S. ROMARICVS, *Austrasius.*

ib. Coll. Soc. Soc. Paderborn. a. 1610
è manuscriptis libris, cum nota-
tiunculis.

per

NICOLAVM SERARIVM
Societatis IESV Pre-
sbyterum.

MOGVNTIÆ,

E Typographeo Balthasaris
Lippij.

ANNO M.DC.V.

Amstadium, quanto clarestas Praesule, pin
Hinc atq; hinc viridi monstrat amicta co



Ornatum virtute refert, Ariesq; polorum
Arce means, operi secla futura notat.



AD MODUM

REVERENDO, ET

RELIGIOSO VIRO, DOM.

D. THEODORO WERNERO

Ilmstadiani monasterij supe-

rioris Preposito, inferioris

Visitatori,

&c.



VI solis vi, admodum
REVERENDE & re-
ligiose DOMINE, sur-
sum, è terra tolluntur
vapores, iudem in eandem rursus ae-
rio concreti frigore per pluias, gran-
dines aut niues relabuntur. Quae ma-
nu Domini è puluere nobis efficta ex-
structaq; corpora, eadem putrilagino-
sa mortis tate in puluerem reuertun-

) (2 TAS

PRÆFATIO.

I. tur omnia. Ad locum, inquit Ec-
 clesiastes noster, vnde exeunt flu-
 mina, reuertuntur, vt iterum
 fluant. & , vt è Vatibus cecinit qui-
 dam, Cuncta suos ortus repe-
 tunt. Merito igitur qui manuscri-
 ptus Ilmstadio Moguntiam, abs
 Te ad me venit GODEFRIDVS
 Comes, idem nouo cum typi schema-
 te, Moguntia Ilmstadium, ad
 Te à me nunc redit. Multa West-
 phaliæ, multa Wederauiæ ve-
 stra ornamenta sunt: sed inter preci-
 pua profecto numerandus heros hic:
 qui, annis ab hinc amplius IOXXX.
 in regione ista vtraque, admiranda
 erga DEVM religionis ac munifi-
 centiæ; inter homines comitatis, pa-
 tientia, constantia, demissionis non
 expressa tantum vestigia, sed & ma-
 ximas,

PRÆFATIO.

ximas, nobilissimasq; moles ac monumenta reliquit: Quorum enim ipse conditor, fundator, ac parens, quæ & quanta Præmonstratensia monasteria sunt, Cappenbergense, Vorlarense, Ilmstadianumque vestrum? Quid, quod & propriam stē-
 matis clarissimi coniugem sacro castitatis, religionisq; studio incendit? quod fratrem suum ab humilioris vitæ instituto alienum prius & abhorrentem, ad illud verbo, exemploq; suo traduxit? quod religiosis omnibus præclara pietatis, obedientiæ, humanarumq; rerum despicientiæ documēta dederit? quod Martiis, militiamq; professis & Centurionibus ac Tribunis illustrem, in quam intueatur bellica moderationis ideam præformarit? Sed hæc, aliq; id genus plura &

) (3 enu-

PRÆFATIO.

enucleatiora, ista hæc eius monstra-
 bit historiola: & quidem, ut spero,
 non inutiliter. Longum, ait Seneca,
 i. iter est per præcepta, breue,
 6. & efficax per exempla. Cum
 reg. bene, ait S. Gregorius, proficere
 10 l. in sancta conuersatione volu-
 11b. mus, necessarium nobis est, ut
 electorum plurimorum nobis
 exempla colligamus. Nam &
 apes componere mella neque-
 unt, si ea in floribus variis ne-
 quaquam legunt. Ne verò hinc
 isthuc in comitatus Comes tantus re-
 diret, ei honoris, maiorisq; fructus
 ergò, alium, qui, ut infra dicitur com-
 modius, ad me missus aliunde pridem
 fuerat, adiunxi Comitem: heroem &
 25. ipsum sanè magnum ac illustrem, se-
 culis quidem aliquot vetustiore, scri-
 ptorum-

PRÆFATIO.

ptorumq; plurium encomiis celebra-
 tiorem, profapia tamen, rerum abun-
 dantiâ, sæculiq; contemptu, & fortu-
 narum in DEI cultum impendio ac
 sacratione persimilem. Accipies, ad-
 modum REVERENDE & religio-
 se DOMINE, candidato Tuo cum
 cætu toto Comites istos ambos eo, quo
 par est, candore, letitia, & honore: il-
 lum quidem ut reducem aut rediui-
 uum potius Patrem, hunc ut Patris
 amicū & synoditen: utrumq; ut ci-
 uem sanctorum, & domesticū ^{Eph}
 DEI. Vidi cum ad vos, superioribus
 Canticularibus, diuertissem, Tua o-
 mnino vesti concolorem in Te ani-
 mum: id est, candidum, letum, reli-
 giosum. ideoque ut hospitalem hanc
 hospitibus tantis humanitatem de-
 feras, non obsecrabo: sed tantum, ut,

PRÆFATIO.

per Te, in omnium Fratrum, filio-
rumq; Tuorum cellulas, in omnia,
Præmonstratensis præsertim ordinis,
cænobia, in omnia refectoria & men-
sas, crebra lectione, cogitatione, ac i-
mitatione introducantur. Moguntie
ipso S. Crucis Inventionis, anno
CIC. ID. C. V.

Admodum R^{de}. ac religio-
se Paternitatis Tue
amans & reuerens

Nicolanus Serarius.

COMITIS GO-
DEF. INSIGNIA.



B. GODEFRIDUS
COMITIS
WESTPHALORUM.

TENE Dei inflammatus amor, pal-
lorque futuri

Et mundi melioris opes, GODEFRIDUS
superbis

Ereptum trabibus, & luxu diuitis otis,
Duram ad pauperiem, vilemque egerela-
cernam?

Fortunatam animam! nō te caelestia vultu
Affectantem auido popularis sibilus aure,
Non pellax Hymen, aut sacri nitor impro-
bus auri

Ad terras vnquam & fugientia somnia
torfit.

Nunc caelo liber fruereis, functusq; periculis
Res nostras, ludumq; cheu! miseraris ina-
nem.

Vest-
phalia
.i. belli-
cosa. Sed ser opem, felixq; tuam precor aspice
gentem.

Gentem, quondam vni qua Marti opera-
ta cruento.

RI
TI
Et patrios potuit Romano sanguine sal-
tus,

Et mundi dominos lachrymis aspergere
vultus,

Quintiliis aquilis, longoq³ potita trium-
pho.

Nunc omnes decoris partes, laudumq³ se-
cuta

Ingenuos tenero meditatur ab vngue la-
bores,

Et quantum olim armis, tantum nunc v-
bere mentis

Certat, & eloquio priscos equare Quiri-
tes.

Sed turbant nimium vicini incendia bel-
li.

Tu votis auerte faces, atque otia redde.

Testis
Varia-
na cla-
des. de
qua l. s.
Mogūt.
c. 5. &
8.
2. Litterarum
amans.

DIVO

DIVO ROMARICO
COMITI AVSTRA-
SIO.

ROMARICE Sicambrorum stirps incluta Regum
Iam capitis, CHRISTI factus amore, minor.

Fallitur insanum Vulgus si perdere credit,
Quas magno calcas robore mentis opes.

Non his invito condidit noua mœnia ponte,
Suspendis nudo marmora nulla loue,

Sed cœlum mediis tentasti ponere siluis,
Sideraq; in lura figere verticibus.

Tecum par Luna iuga summa optauit AMATVS
Nam tu Phœbeæ lampadis instar habes.

Vet septemgemina integrarum dodecas ambit
Virginum; & hæc tanquam signa minora nitent.

Si mentes cœlo aligera labantur ab alto,
Non alio numero castra, situq; locent.

Siluestre ô cœlum, & cœlestes viuere silua,
Agminaq; intactis amula cœlitibus.

Sequitur Hauendunum hæc indagino Romaricus,
Hocq; choro, ut sciret, ut caneretq; Deum.

NOTATIONES IN
B. COMITIS GODE-
fridi vitam sequen-
tem.

1. **V**ITAE huius auctor fuit ordi-
nis Præmonstratensis in Mo-
nasterio Capenbergensi, & vixit iis-
dem cum illo annis, eidem tamen su-
perstes, prout ex narratione tota pa-
tebit, maximè cap. 5. 6. 46. 49. 51. 52.
Mihi nomen incompertum.

2. *Capenbergensis* olim arcis, nunc mo-
nasterij locus excelsus est, munitus,
& amœnus in Vuestphalia: *Vorlar* ve-
rò in eadem, prope *Cosfeldiam* est: *E-
loffstadium* in *Vuederauia*: idèq; ab vn-
denario dictum numero (qui *Elloff*
hodie suaviùs *Elff*) aiunt aliqui. In *S.
Nortberti* vita c. 30. mendosè *Flo-
stat*, & *Elephstat* scribitur, rectè alibi
Elffstat. hodie, sed ab annis iam plu-
ribus *Ilmstad*.

3. *Arnsberg* infra c. 28. arx est cum o-
pido adiuncto in Vuestphaliæ Du-
catu: percrebra *Coloniensis* Archie-
pisco-

NOTATIONES.

- piscopi sedes. *Aldenburgum*, de quo
 55. celebris adhuc hodie Comitatus
Luna c. 53. opidum vno à Capenberg
 distat miliari, differtq; plurimum
 λένα de qua Strabo, & illa, cui apud
 Gregor. lib. 3. epist. 21. & 22. *Lunensis*
Episcopus. & l. 4. ep. 5.
4. *Monasterium*, vrbs celeberrima
 Vuestphalię totius caput: olim *Mimmar-*
gardum, vt in *S. Ludgeri* vita semper
 Plura in eo virginum cœnobia sunt
 sed infrà c. 5. videtur de eo sermo
 quod *trans aquas* appellatur.
5. *Ministeriales* cap. 16. in Vuestphalia
 triplicis dicuntur generis. 1. qui corpore,
 iumentisq; suis Domino alicui
 seruiunt, & vocantur *prædia integra*.
 qui solo corpore, dicti *Rötter*. 3. qui
 tabellarios agunt. *Bringstter*.
6. Vterq; iste Comes vocari etiã so-
 let *Princeps*, *Godfridus* quidem in
Northertina c. 31. *Romaricus*, passim
 in historia ipsius MS. Ille in Sancto-
 (quod quidem sciam) numerum re-
 latus nondum est: sed posterior iste
 prout infra patebit.



INCAPPENBER-
GENSIS COMITIS GO-
DEFRIDI VITAM

Prologus

AUCTORIS QUIDEM ANONY-
mi, sed qui illius aeo vixit.

Nestimabilem beneficio-
rum Dei magnitudinem
humani pectoris angustias
excedentem Propheta san-
ctus considerans, quodam loco com-
punctus ait: Miserationum Domini re- *Isai. 63.*
cordabor laudem dicam ei super omnibus,
quae retribuit nobis. Alius item Prophe-
ta supernae donationis infinitas in se
diuitias obstupescens, nec dignas gra-
tiarum actiones apud se inuenire suf-
ficiens: *Psal. 135.*
Quid retribuam, inquit, Domi-
no pro omnibus, quae retribuit mihi? Un-
de nos quoque auctori omnium de tot
donis ac bonis suis ingrati esse meru-
erunt,

A enes,

2 GODEFRIDI COMITIS

entes, diuina quædam aggredimur
commendare magnalia, nobis qui-
dem, hoc est, nostræ professionis fi-
liis specialius exhibita, generaliter
vero piorum omnium vtilitati non
mediocriter profutura. Verum non
sublimitate sermonis, sed in Spiritus
Sancti cooperante gratia, humili ac
simplici eloquio dicenda dicemus,
quippe qui nemus in domo Domini
plantare legali decreto prohibemur.
Solummodo res diuinitus gestas me-
moriæ mandare intendimus, nulliq[ue]
meliori ac doctiori hæc eadem dili-
gētius tractaturo præiudicamus. Vn-
de nec æmuloꝝ dentes luridos for-
midare debemus. *Oculum enim colum-
binum, vt ait quidam sanctorum, gra-
tanter suscipit pulcher rima ac modestis-
sima charitas. dentem vero caninum ve-
nit at cautissima humilitas, vel re uer-
solidissima veritas.* Enim vero no[n] tram-
inprimis arguimus negligentem in-
ertiam, & inertem negligentiam,
quod hæcenus de Beato viro G. O.

Dexter.
16.

DEFRIDO Comite Capenbergensis
 Ccenobij, hoc est, loci nostri fun-
 datore, in laudem quippiam dice-
 re negleximus, qui tamen tanti viri
 meritis & industria, vt parum di-
 cam; omnibus hodie bonis repleti
 sumus. Non enim satis eloquor,
 quid de hoc viro parturiat cor me-
 um, dum attendo & perpendo san-
 ctissimæ conuersationis eius infi-
 gnia, tanti viri tam voluntariam
 paupertatem, tam humilem simpli-
 citatem ac simplicem humilitatem,
 tam felicem denique omnium i-
 plus consummationem. Et ecce ter *S. Amb.*
 beatus iste Comes verus, quia ve- *ser. 89.*
 rum Regem comitatus, & perse- *Comes*
 ueranter imitatus est, ipse inquam *Impera-*
 in perenni tripudiat gloria, nobis- *toris de-*
 cum autem memoria eius cum be- *bet co-*
 nedictione perseuerat in secula. Me- *mes*
 moria enim illius, vt scriptum est, in *CHRI-*
 compositione odoris facta, opus pigmen- *STI esse*
 tarij manet in seculum seculi qua- *deside-*
 si mel, & vt Musica in conuiuio vini, *rare.*
Eccl 49.

4 GODEFRIDI COMITIS

Conabimur itaque de hoc Sancto aliqua locuturi, & gratas compendij metas non excedere, & ea quæ sub oculis fratrum nostrorum acta vel dicta sunt, piis ac timoratis auribus explanare.

CAP. I.

Incipit vita eiusdem.

De comitatu eius.

Temporibus gloriosi Henrici, qui huius nominis quintus Romanum administravit imperium, fuit in V Westphaliæ provincia electus ac dilectus Dei GODEFRIDVS, qui nobilissimis ac regiæ stirpis ortus parentibus, in timore Domini, Comitatus agebat officium, pater eius Godefridus, mater Beatrix dicebatur. Hic vero reuerendissimus atque inter Dei amicos computari dignissimus, auum habuit Hermannum Comitem, qui vt maiorum celeberrima relatione cognouimus, cum esset eleemo-

Parentes Comitis God.

synator

V I T A. §

synator præcipuus, misericordiæ o-
peribus intentus, à tumultu militaris
insolentiæ quietissimus, adhuc vi-
uens huiusmodi miraculum opera-
tus est.

C A P. II.

De cæco illuminato.

C O E C U S quidam in illius degebat
eleemosyna, qui die quadam o-
stentum sibi diuinitus asserebat,
quod visum recepturus esset, si a-
quam, de qua manus Comes ablu-
erat, oculis admouisset. Aquam igitur
tulit, oculis adhibuit, protinus vidit.
Ad sepulchrum vero eius hodieque
nonnulla ostensarum virtutum de-
monstrantur indicia, quæ oculis me-
is vidi, quæque illic in testimonium
reliquerunt hi, qui sanitate recupe-
rata sospites inde reuersi sunt. Huius
itaque tanti viri nepos G O D E F R I -
D V S noster, ab ipsis iam adolescen-
tiæ primordiis cœpit Deo deuotus

*Auus
Comitis
Godefr.
admod.
pius.*

6 GODEFRIDI COMITIS

existere, & scintillante in se flamma
inpirationis diuinæ, omni seculari
dignitati, vniuersæque suæ facultati
saragebat renuntiare. Fuit enim vir
mansuetissimus, suauitate venerabi-
lis, benignitate laudabilis, oculis stel-
lantibus mirum in modum gratio-
sus, facundus eloquio, prudens in
consilio, militiæ quidem exercitio
Arenuus, sed Regi supremo militare,
nudamque crucem CHRISTI nu-
dus baiulare inardescens quanto-
cyus.

CAP. III.

Quam innocens fuerit.

INterim vero si quando milita rapi
paratu, seu bellico procinctu, per-
sonæ suæ necessitate detentus fuit,
se ab omni circum manentium in-
iuria vel infestatione cohibuit. Cum
autem interdum discursantes mili-
tes prædari, & aliena, vt assolent, v-
surpare conspiceret, attestante quo-
dam

dam familiari eius tunc ministro, *Pracla-*
 post modum autem fratre nostro *rum Du-*
 manus ad caelum expandit, lacry- *cibus &*
 mas fudit, hisque verbis omnipo- *Capita-*
 tentiam Salvatoris exoravit dicens: *neis ex*
 Domine IESV CHRISTE *tuae emplu.*
 bonitatis altitudinem tuam imploro,
 ut me de medio iniquitatis huius eri-
 pias, & in die illo paratum & immacu-
 latum inveniri praecipias. Scio enim ar-
 biter iustissime, quod in meum redundat
 caput, quicquid à meis delinquitur o-
 mnisque dissimulationis meae negligenti-
 a tua merito distractione punietur.
 Cuius petitionis fructu quemadmo-
 dum priuatus non fuerit (nec enim
 Dominus priuabit bonis eos, qui am- *Psal 8*
 bulant in innocentia,) subsequentium *Vide u*
 rerum tam fidelis quam mirabilis *fraca-*
 declarabit historia. Igitur dum ha- *put. 23*
 bitaret in castro quod Capenberg
 dicitur, loco nimirum spectabili, fi-
 tuque ipso admodum salubri & de-
 lectabili, de loco eodem quod di-
 uino quandoque mancipadus esset ser-
 uitio,

A 4

8 GODEFRIDI COMITIS

uitio, diuersis fidelissimarum visionum ostensionibus reuelatum est à Domino.

CAP. IV.

Visiones quæ de loco factæ sunt.

Presbyter enim quidam *VVil-*
mannus nomine in visu noctis aspexit quasi columnam auream in *Capenberg* exsurgere, atque ipsius cœli fastigia penetrare. Quo visu diuinæ laudationis claritudinem illic exercendam frequenter intellexit, & astutibus quod futurum erat, verissime longe ante prænuuciauit. Vnus præterea ex amicis felicissimi Comitis, *Egebertus* nomine, cum esset in itinere proficiscens ad Comitem, noctu vidit *Capenberg* urbem fore niue candidiorem, quæ vsque ad alta nubium sublimiter conscendens, ipsum cœli cacumen vertice pulsare videbatur.

CAP.

Qualiter neptis eius vidit.

Quid referam de patruī illius filiā, quę Gerbergis nuncupata, Monasteriensis cœnobij extitit Abbatissa? Hęc ergo multa religione venerabilis cum beatum virum vnice diligeret, & tam pro ipso, quam pro subditis frequentium orationum excubaret peruigilio, quodam tempore somno parumper arrepto, vidit sibi iuuenem vultu sydereo renitentem, & verba hęc sapius eius in auribus iterantem: *Locus Capenbergensis habitationis, quam idoneus foret conuentui Spiritualis congregationis!* Quod illa iocundissimè audiens (iam enim diu id ipsum concupierat) cum Beato viro retulisset, ille prudenter atque humiliter in hęc modum respondit: *Neptis dilectissima, potens est Dominus Deus hoc pro suo velle ordinare, nam ego*

A 5 id

IO GODEFRIDI COMITIS

id per me nequaquam sufficio adimplere. Et reuera diuina hoc prouidentia iuxta verbum eius consequenter adimpleuit, nec beatum virum sui cordis tam pio fraudauit desiderio. Apparuit enim in VVestphalia sub ipso ferè tempore eximium quoddam iubar Ecclesiæ, memorabilis ille Dei præco NORBERTVS, vir mirum admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ, summæ continentiæ, informator ac propagator religionis Canoniciæ, seruorum CHRISTI aggregator, cœnobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus veræ penitentia prædicator, ac per omnia illius prophetici iussione executor, qua dicitur: Parate viam Domini, et stas facite in solitudine semitas Dei nostri. De huius porro vitæ sanctitate, Archiepiscopatus dignitate, sancti quoque transitus felicitate, si quis ad plenum dicere voluerit, singularis profecto libri ad hoc solum

l. Norbertus.

Matt. 3.
Isa. 40.

insti.

instituti, magnitudine opus erit. Tanti ergo prædicatoris cum circum-
 quaque fragraret opinio, vir beatus
 yna cum germano fratre venerabili
 Domino OTTONE sitienter
 præconem salutis adiit, verbum ex-
 hortationis deuotus accepit, actum-
 que est Deo miserante, vti etiam præ-
 fatus OTTO sensim atque grada-
 tim seculum calcare inciperet, idem-
 que sanctitatis propositum, quod in
 beato fratre suo iam dudum emine-
 bat, arriperet. Quid multis immorer?
 Vterque paulo post, mutato seculari
 habitu, tonsuram religionis cum ha-
 bitu sacræ professionis assumpsit: v-
 terque sub regula beati AVGVSTI-
 NI, ac sub obedientia memorati fra-
 tris NORBERTI, Domino militare
 deuouit.

CAP. VI.

Qualiter omnia reliquerit.

VIR Deo dignus GODEFRIDVS
 coniugē suā Friderici Comitis fi-
 lium

12 GODEFRIDI COMITIS

l. 31.
Mat.

liam, sacrum sumere velamen adhortationibus piis ac salutaribus effecit. Ipse quoque cum esset maior natu cum vnanimi fratris consensu castrum ipsum *Capenberg*, & omnia sua Deo fideliter offerens, in die beatae *Petronillæ* Virginis vltibus ea pauperum CHRISTI delegavit, tria videlicet extruens cœnobîa, hoc est *Capenberg*, *Varlar*, *Eloffstad*, quæ singula prædiis suis copiose locupletans, eadē sub memorati Patris *Noberti* ordinavit prouidentia.

CAP. VII.

De regulari fratrum proposito.

PLacuit itaque Spiritui Sancto, qui in præcone veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit inquam ei, ut in prænotatis cœnobîis fratres regulam beati

beati profiterentur **AUGUSTINI**
eo quidem tenore, ut regulam ean-
dem aliquanto districtius, quam ea-
tenus usitatum fuerat, obseruarent,
esu scilicet adipis & carniū absti-
nendo, austeriore quoque habitu,
pœnitentiæ rigorem exhibēdo. Nam
& amicus sponsi *Ioannes* non exqui- *Matt. 3*
sitis, imo naturalibus & syluestribus *& 11.*
cibus pastus est, & ab ipso Salvatore
coram turbis ad eremum confluen-
tibus, de vestitus asperitate laudatus
est. Et ecce hic ordo noster, diuinâ
prosequente clementiâ, longe la-
teque protenditur, & ut vere con-
fidimus, multo latius in futurum
protenderetur: Vnde nec ambige-
re præsumimus; quin sancto dictan-
te Spiritu, & inchoatus fuerit, &
diuinæ ordinationis nutu promul-
gatus. Nunquid enim non vineam *Psal. 7*
istam in brachio excelso ipse Do-
minus, dux itineris transtulit de A E-
gypto? Nonne ipse gentes, hoc est,
prædo-

14 GODEFRIDI COMITIS

prædones & iniquos huius loci ha-
bitatores eiecit à conspectu nostro.
Radices vineæ huius ipse plantaui,
quæ iam vsque ad mare, immo & ul-
tra mare palmites suos, opitulatione
dexteræ cœlestis, extēdit. Vereamur
ibid. ergo id quod sequitur in psalmo, vi-
delicet, ne singularis ferus, hoc est, an-
tiquus noster aduersarius, vineam
hanc dextera Dei plantatam exter-
minet. Quod utique idem extermi-
nator, quo pacto, nisi quorundam
cœnobiorum nostrorum scissurâ &
singularitate magis efficere solet.
Contra orandus est vineæ plantator
atque mundator, uti palmites suos
dignanter excolat; incensa igni &
suffossa ab increpatione sui vultus
perire concedat; vineam tenellam
ac nouellam in abundantia suæ
benedictionis quando-
que perficiat.

CAP. VIII.

Verba Patris Norberti de loco.

IPSE autem præfatus pater Norbertus præ cæteris Capenbergense cœnobium affectuosius diligebat de quo etiam loco, quod non filebo, in conuentu fratrum aliquando residens assererat; Fratres, inquit, carissimi, cum aliquando non longe hinc positus essem, vidi certissime super locum hunc, descendentem Spiritum Sanctum. Contemplabar quoque alio tempore magna claritatis lumen in circuitu loci huius exortum atque diffusum. Proinde dilectissimi glorificate Deum nostrum, quia hic profecto est mons sanctificationis illius, mons, inquam, est, quem acquisiuit dextera eius. Hæc ego in eodem fratrum conuentu positus audiui, ne quis forte perfidiâ nubilosus, perspicue

cue derogare præsumat veritati. Audiui nihilominus eundem orthodoxæ veritatis assertorem in communi Capitulo hæc, quæ sequuntur prosequentem: Scio, inquit, vnum ex professionis nostræ fratribus, cui de regula nostra studiosius indaganti non quidem suis meritis, imo confratrum suorum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui auream regulam à latere suo dextro prolatam illi porrexit, seque ipsum luculento ei sermone intimavit dicens: Quem vides, Augustinus ego sum Hipponensis Episcopus. Ecce habes regulam quam ego conscripsi, sub qua si bene militauerint confratres tui, filij mei, securi CHRISTO astabunt in extremi terrore iudicij. Et quidem ista humiliter tanquam de alio profectus est, nos tamen ipsum fuisse, cui hoc reuelatum est, indubitanter aduertimus.

(:)

CAP. IX.

Quod famem prædixerit.

Sed & duo illius magnalia, quæ in *De S.*
 hoc gesta sunt loco, dignum non *Nort-*
 arbitror præterire silentio. Quodam *berto*
 tempore famem VVestphaliæ affu- *sta.*
 turam, & ipsos etiam fratres parum-
 per castigaturam in Spiritu prædixit,
 quæ iuxta viri Dei præscientiam, ad-
 eo grauis euenit, vt plerisque dira
 inedia calamitas exstingueret. Acci-
 dit ergo die quadam fratribus ad re-
 fectionem ituris, cum hospitiis ac
 pauperibus erogarent quicquid sibi
 abstinendo subtraherent, vt panis
 deesset alimonia, ita vt etiam vnde
 fieret, inueniri non posset. Cumque
 vir Dei sæpius intimasset quod scri-
 ptum est: *Non affliget Dominus fame a-*
Prover.
nimam iusti, ecce subito per fideles *10.*
 suos Dominus tantam panis abun-
 dantiam transfudit, quod fratres &
 sufficienter refecti sunt, & aduenien-
 tibus

B tibus

tibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa nunquam fratribus defecerunt oportuna subsidia.

CAP. X.

Quòd febres verbo fugauit.

TEmpore item alio cum vir sanctus quèdam vellet ex fratribus pro causa Monasterij destinare, inueniens illum valida prostratum febre, iniunxit ei causam obedientie in virtute CHRISTI, solo verbo vsus imperij: *Vade*, inquit, & reuertere iamque amplius noli febricitare. Statim ergo frater recuperatis viribus perfecit quantocys, quod à patre sancto fuerat iussus. Ita viri Dei sermo & causam obtinuit, & morbum diutinum repente fugauit.

(:)

C A P X I.

Quid frater quidam viderit.

IN prædicto quoque loco frater e-
rat laudabilis, cui amicus fidelissi-
mus, pro cuius defuncti anima mul-
tis inuigilauerat precibus, nocte qua-
dam, astitit, eique familiari colloquio
dixit: Frater mi, gratias tibi ago,
quod hætenus etiam cum cæteri a-
mici vel affines immemores essent
mei, tu nostri memoriam nullate-
nus omisisti. Et nunc adhortor, vt
stabilis & immobilis in tuo persistas
proposito, nec de ordine vestro, tan-
quam alium potiozem inuenturus,
fluctues animo, quia nimirum salu-
briorem, animæque tuæ commo-
diorem tibi demonstrare non va-
leo. Nam & huc veni nuntiare tuæ ca-
ritati, quod orationes confratrum
tuorum quotidie recitantur super
altare aureum, quod est ante oculos
Domini. Hortor quoq; ne vnquam &

*Oratio
pro de-
functis*

Apptat

B 2 obe-

bed:-
1118.
sal.
 7.
1. Co-3.
1. Co-3.
1. Co-3.
 obedientiæ subterfugias imperium.
 Nulla enim virtute, coram Deo, sub-
 limius ac fructuosius consequeris
 meritum. Ait propheta, quòd *lingua*
canum Dei sit ex inimicis ab ipso. Con-
 uersi enim ex inimicis Iudæis multi
 facti sunt, & hodie fiunt lingua ca-
 num, pro domo Domini contra ini-
 micos latrantes. Et quasi quæres,
 unde tantum bonum, responderet, *ab*
ipso, hoc est, à gratia eius, non à sei-
 plis. Hoc diximus propter gratiam,
 quam operatus est Deus in fratrem
 tempore nostro Hebræo, qui post
 multos errorum circuitus, Dei mu-
 nere prauentus, cœpit ardenti desi-
 derio fidem Christianam inquirere.
 Disputabat ergo cum Christianis,
 conferens de lege ac prophetis, cui
 cum dicerent ex verbis Apostoli,
 quòd velamen maneret super cor
 eius, cogitabat, hoc non melius tolli,
 quam signaculo crucis: cœpit que-
 gnare se, occultè tamen *propter me-*
tum Iudæorum; Et quia Iudæi signa pe-
 tatis

2. Co-3.
 1. Co-3.

Ioan. 19.

tunt, ieiuniis & orationibus intentus
 cœpit efflagitare signum à Domino,
 quo posset aduertere, si Dei gratiam
 percipere mereretur. Quod cum
 obnixius ageret, ecce videt se CHRIS-
 TI throno assistentem, & crucem
 auream super humerum domini-
 cum refulgentem, cernensque quos-
 dam ex Iudæis prope astare. Nonne,
 inquit, recognoscetis ipsum hunc
 esse, de quo Isaias loquitur: *Et factus* *Isai. 9.*
est principatus super humerum eius? Ta-
 lique signo iam plenè conuersus sa-
 ragebat aliquos etiam suorum de Iu-
 daica liberare perfidia, & veniens
 Mogontiam in domum cognatorum, *lib. 5 m*
 germanum suum admodum paru- *rū Mo.*
 lum manu apprehensum de medio *gunt.*
 Iudæorum callidè foras ciuitatem *Arch.*
 tentabat educere. Sed operante ma- *25 pag.*
 ligno per plateas gyrando vna cum *813.*
 puero cœpit errare, ita vt portam
 quam egrederetur, inuenire non
 posset. Cumq; nimis in ambulando
 gyrouagus vexaretur, intelligēs de-

B 3 mum

22 GODEFRIDI COMITIS

num ex maligno hūc fieri errorem,
crucis vexillo frontem armauit, &
innox apertis oculis portam inueni-
ens lætabundus aufugit. Sicque se-
cum erepto puero in breui de hinc
baptismi gratiam percepit cum illo,
ac prosequente cœlesti dono, simul
cum eodem non longe post, nostræ
militiæ societari adunatus est. Sed
hæc hæctenus. iam deinceps ad bea-
tum Comitem reflectamus articu-
lum, & qualiter serpens antiquus
virtutes eius videns & inuidens per
satellites suos, illi obuiare tentauerit,
iam nunc adducamus in medium.

C A P. XII.

De persecutione Friderici.

mes
ref-
rgius.
Vbi primum sancti viri religio-
tas innotuit, *Fridericus Comes*
prophanus & Antichristianus, potius
quam Christianus, avaritiæ facibus
accensus infremuit, fallaciæ com-
menta exquisiuit dicens filiam suam
arte

arte circumuētam, hæreditatis quo-
 que debitæ portionem fraudulenta
 illi seductione sublatam. Qua occa-
 sione diuersis Beatum virum affecit
 iniuriis, multis vexauit contumeliis,
 cum ille tamē expeditissimam de om-
 nibus redderet rationem, & impu-
 dentem eius vesaniam, prout dignū
 erat, confidenter argueret. Verunta-
 men infelix ille non quiescens, & plus
 aloes quam mellis habens, cum ali-
 quando suorum concione vallatus,
 complura genero minaretur, multis
 astantium tamen, ob tanti viri reue-
 rentiā, lachrymas continere non va-
 lentibus, vir Dei conscientiæ vallo
 munitus quo grassanti vesaniæ aspis-
 rare fas nō erat, omnem furoris illius
 impetū securus irridebat. Vocatoq;
 demum vno ex familiaribus suis ait:
 Forte infelix iste me captiuare dispo-
 nit: tu vero patri Norberto dicito,
 quatenus etiāsi incarceratus fuero,
 ne quē pro mei absolutione laborē
 velexiguū impēdat. Ego n. pro lege

24 GODEFRIDY COMITIS

Dei mei non solum incarcerari, sed etiam in carcere mori utinam condignus inueniar. Ego in carcere Deum meum deprecabor, in carcere misericordiam & miserationes eius alacriter praestolabor. Opto siquidem, ut quemadmodum scopa usu detrita nouissime flamme iniicitur, sic corpus meum CHRISTI exhaustum seruitio, tribulationis demum igne consummetur. Ecce quanta beati viri constantia, omnia quidem pro CHRISTO perpeti decernebat, sed pius Dominus nostris eum adhuc profectibus reseruabat.

CAP. XIII.

De interitu Friderici.

Fridericus praeterea inexplebili stimulante auaritia, (Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames,) castrum Capenberg obsidere, ipsumque patrem Norbertum pro muris suspendere minitans, (nam quis metus aut pudor est vnquam properantis auari?) eo usque mala malis adiicient

iram

iram sibi thesaurizauit, donec altissimus, qui patiens est redditor, condigna illum animaduersione percussit, quem & vnus è fratribus ante denūtiatum eius interitum à leone horrendo transglutiri per visum agnouit. Sed nec sic serpens ille, vno licet succiso capite, à veneno suæ conqueiuit inuidiæ, sancto quidem viro tribulationem & dolorem exsuscitans, sed in his quanquam inuitus maiorem illi virtutis occasionē subministrans. Hæc enim est inscrutabilis abyssus iudiciorum Dei, quæ diabolum cum membris suis electorum cogit deseruire profectui, cuius profundum & beatus Apostolus intuebatur cum diceret: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Sola enim est diuina vis, cui & mala bona sunt, dum eis competenter vtendo, ne quid in regno eius temeritati liceat, boni alicuius effectum elicit, quod

B 5 ia

Rom. 8.

26 GODEFRIDI COMITIS
in sequentibus luce clarius eluce-
bit.

CAP XIV.

De Francone impio.

Proorem
Gode-
fridi Co-
mitis
relo in
sancto
velata
capit
uidā.
Proser.
4. &
8.
Eccol. 4.
Matronam igitur, quæ sacrum
velamen assumpserat, Franco
quidam scelestus diabolico rapuit in-
stinctu, qui beato viro inermi forte
obuiati, tantamque illius nequitiam
piè persequenti, cum armatus & elat-
us diceret: Tu ne ille es, qui detri-
mentis meis operam date perhibe-
ris? Vir sanctus quemadmodum scri-
ptum est, *in timore Domini fiducia for-
titudinis; Et iustus quasi leo confidens abs-
que errore erit, constantissimè respō-
dit: Ego detrimētis tuis nequaquam
inuiuis, quin potius hostis antiqui-
dentibus, cuius mancipium factus es,
te summè eruere desidero. Cumque
ilte vastans gladium arripere, di-
cam, dicam (magnus ab integro saclo-
rum vt nouerit ordo) dicam quo-
modo*

modo vir Dei tanquam ad victimam
agnus ductus, sine voce astitit, cerui-
cem protinus tetendit; sed nutu di-
uino conterritus ille ferire non præ-
ualuit. Nunquid ergo hunc virum
CHRISTI martyrem non dixerim,
qui non solum animo, sed & iugulo
preparato, tam incunctanter se inge-
rebat martyrio? *Quis hunc athletam
separet à charitate CHRISTI? Tribulatio
an angustia, an persecutio, an fames, an
nuditas, an periculum, an gladius? Denicq;
raptam suam variis laborum anfra-
ctibus requisitam, cellulæ demum
restituit, & raptor ille morte pessima,
quæ peccatorum est propria, non lō-
ge post lancea perfolius interit.*

Rom. 8

CAP. XV.

De probris qua sustinuit.

Quid autem de nōnullis insensa-
tis ministerialibus, & seruis et-
iam infimis referam, qui multis illū
pulsauere conuiciis, dicentes eum
amen-

28 GODIFRIDI COMETIS

amentem factum, sequi falsarium & impostorem illum Norbertum, tam sublimem huius mundi gloriam stultè deserere, sequi desolatos, & quasi acephalos relinquere? Verum inter omnia hæc athleta noster dum omnes excipit assultus, permanet eiusdem patientia fortis ad omnes telorum nimbos, reddit & has contra venerando pectore voces: *Si diligentis, inquit, me, gauderetis utique, quia ad Deum meum tendo, quia naufragium sæculi huius præterire desidero, quia creatori meo proximari concupisco.*

C A P. XVI.

Quam immobilis fuerit.

IN die vero Assumptionis Beatissimæ Virginis *MARIAE*, quæ summa nobis est solemnitas, quando & huius loci ambitus ab Antistite consecratus est, quis digne commemoret, quales tentationum impetus, quantos impulsioneum fluctus euicerit, a-

As. 1122. Et est in To. 7. Sur. 21. Episc. Monast.

*his e
retra
sugg
tanta
seren
sapie
rius
pron
uicti
func
tot c
mob
vove
enim
non
Nih
fessi
quia
carit
mer
que
fas,
nibu
uit,*

his cum hinc trahentibus, aliis inde retrahentibus, ac mira improbitate suggerentibus, ne tantæ honestatis, tantæque spectabilitatis castrum desereret, cum & ipse Antistes carnem sapiens, & cor in terra trahens alterius ei mansionis concambium re-promitteret. Sed CHRISTI miles inuictissimus, & vere super CHRISTVM fundatus, inter imbres & flumina, tot quoque ventorum flamina immobili persistens tolerantia, nec terrore teri potuit, nec turbine frangi. Fortis *Can. 8.*
enim est vt mors dilectio, & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Nihil seruo Dei de multiplicis possessionis suæ complacebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ, hoc est, caritatis diuinæ claritas fulgebat in mente. Ministeriales centum & quinque, præter alias donationes gloriosas, cum sufficientissimis possessionibus Monasteriensi Ecclesiæ donauit, præter eos, quos Ecclesiæ Coloni-

nien-

30 GODEFRIDI COMITIS
nienti, aliisque locis, prout ipsi orauit
re, contradidit.

C A P. XVII.

Qualiter in cœnobio vixerit.

TAndem ergo compositis rerū me-
rumque secundis in commune bonis
postquam à concussione dura respi-
rare datum est illi ; claustroque fouere
pacificos sensus , & in otia soluere curas,
quātum purgatissimis moribus eni-
tuerit, Deū testor, quod humani ser-
monis inopia nullatenus explicabit.

C A P. XVIII.

De humilitate eius.

STudebat primum in omnibus suis
despectū appetere, indigna qua-
libet atque extrema seruitia non ab-
horrere, oblatam sibi à fratribus ve-
nerationē humillimè declinare. Alco
enim corde retinuit, quod à Magistro
humilitatis accepit dicente : *Discite à*
me,

me, quia mitis sum & humilis corde, & *Matth.*
 inuenietis requiem animabus vestris. *31.*

CAP. XIX.

De Compunctione ipsius.

Verbum Dei audiens seu orationem Domino fundens, vberrimis profuebat lachrymis, quæ satis in illo declarabat ardorē ac deuotionē interne puritatis. Qua de re vnus quoq; seniorum testabatur dicēs: De hoc viro sancto illud ego frequētius videns admiratus sum, quod cum vnā nobiscum ad communem discūberet refectionem, non modo miraciborum pollebat abstinentia, verum etiam tam vberrimis atq; creberrimis lachrymarū rigabatur fluentis, vt stupens hæc intra me reputarem. Deus bone, quid in hoc agitur homine beatissimo? quæ putas horum ratio gemituum? quæ tantarum causa est lachrymarum? Num ex
 anim

nimia spiritualis lætitiæ se cōficat ab-
 undantiâ , gratias nimirum agentem
 & amantissimam consideratione per-
 pendens diuina, quæ hoc loco imple-
 perpetuū ordinauit ministeria, quæ
 que iam nunc adeo videt in suis
 vere præsentia? Num inquam pro
 his magnificis Dei beneficiis in tan-
 tum gratulatur, vt à lacrymis tan-
 affluentibus temperare non valeat?
 An vero potius tam immenso, tam
 impatienti, tam inconsolabili rapine
 æternorum desiderio bonorum, vt
 illius intuitu, terrenorumque salu-
 dio nil omnino ei nisi flere liber-
 Vtriusque profecto causæ salubris
 laudanda religiositas, vtriusq; com-
 punctionis beata talique Dei seru-
 condigna sublimitas. Hęc senior no-
 ster, quæ assidue oculis suis in-
 tuitus est, veraci ac fide-

li mihi testimonio
 profecutus
 est.

CAP. XX.

*De prædicandi & exhortandi
gratia.*

Semen præterea verbi diuini for-
 secundo corde percepit, tantaque ac-
 tam crebra exhortationis gratia dif-
 fusa erat in labiis eius, vt pater *Nor-*
bertus de ipso gratulatorie dixisse
 perhibeatur: Postquam ego in præ-
 dicationis cursu lassatus defecero,
 Godefridum filium meum suscitabo
 more ceruorum, qui cum se venato-
 rum instantiâ supra vires lassari per-
 senserint, alios pro se ceruos exagi-
 tandos suscitare memorantur. Pro-
 inde vel vnum ex dictis eius, quod à
 fratribus didici memorabile, piæ
 menti non ingratum erit aduertere.
 Cum fratres exhortaretur non cu-
 rare labia iniqua, & detrahentium
 inepta mendacia, quia imperitos tã-
 tum *falsus honor iuuat, & mendax in-*
famia terret, Mendacium, inquit, diu
 non subsistere valet, veritas autem

C *stabi-*

stabilis perseverat & solida. Mendacium enim in *præcipiti* sedet equo, veritas autem in *asino*. Et recta plane similitudo, veritatem sedere in asino, quia & Dominus meus qui ait: Ego *sum veritas*, in asino sedere dignatus est.

6. 14.
lat. 21.

CAP. XXI.

De corporis castigatione.

Co-
nth. 9.

Corpus etiam suum est Apostolico castigabat exemplo, ac perenni frangebatur ieiunio, sciensque, quod

Summa quies nil velle super quam postulat usus

Debitus, ut simplex alimonia, vestis & vna,

& S. en-
et, te-
et.

Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,

modicis omnino contentus erat, & quam frequentius bibens & pane solo excepto, vix aliud quippiam alimentorum sumpsit.

CAP.

C A P. XXII.

*De tepore, vitæ remissione
cauenda.*

Cum autem fratres quidam tepidi de rigore ordinis relaxando illi suggererent, vir sanctus Dei Spiritu plenus hac similitudine respondit: Qui magnum fluvium nauigio transmeare proponunt, longe superius à destinata ripa nauigare incipiunt, quia violentia retorquentur incessabili, & velint nolint, cum fluvio quodammodo descendere compelluntur: Ita & nos fratres, qui hoc mare magnum & spaciosum manibus pertransire contendimus, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus, *ps. 105.* adiungere ascensum, nostrum roboremus propositum, quia humanæ torpor negligentie semper in descensu est: & vereor plurimum, ne in futurum ordo noster descendendo vel prolatabendo nimium, (*quia qui modica*
C 2 sper-

eccl. 19. spernit paulatim defluit,) ad teporis
pristinirelabatur decursum.

CAP. XXIII.

*De summa in bello abstinentia &
iustitia.*

QUODAM tempore cum ciues Mo-
nasterienses aduersus Comitem
nostrum sæculari adhuc habitu de-
tentum iurgia concitarēt, bella mo-
uerent, vnus ex ministris eius cum
suis complicibus, in viciniam illam
excurrens, prædam congregauit co-
piosam, animalia quoq; multa, quæ
diripuerat, stante in porta Comite,
tanquam gloriabūdu adduxit. Cū-
que vir pius æquitatis amicus, in qui-
rens quid hoc esset, rem didicisset ex
ordine, continuò sancta indignatio-
ne permotus, ministris astantibus, Ita
inquit, dicite prædoni iniquo, ne nostros
vnquam presumat adire conspectus, donec
eis, quos impiè lesit, satisfaciat, omnibus
que.

verin-
gne.
vilitia.
reñ. si-

quæ rapuit ad integrum restituitis. Si enim
 homines ciuitatis illius ad præsens nobis,
 prout forte sumus digni, aduersantur,
 nunquid ob hoc præsumptor iste villanos
 & innocentes quosque, nostri sub nominis
 umbra, deprædabitur? Ad hoc ille per-
 territus, & nil tunc minus auditurum
 sese arbitratus quanto cyus discessit,
 ex rapina nil sibi retinere præsumens
 sua cuique multâ cum sollicitudine,
 resignauit. Itaq; cum in GODEFRI-
 DO multa stupeamus mirifica, ea
 plus mirari solemus, quæ in sæculari
 dignitate bona executus est.

mentis
 dictum,
 factum

C A P. XXIV.

*De insigni erga miseros misericor-
 dia, erga viles & abiectos co-
 mitate.*

I Nter cætera cœlestis gratiæ dona,
 leximia quoq; in viro Dei necdum
 sæculi rebus exuto abundabat com-
 passio, nec leprosos, aut quâlibet in-
 firmæ conditionis ægrotos despexit,

C 3 adeo

adeo ut stupentibus ministris, pauperrimo cuidam apud se languenti pius atque humillimus visitator assisteret. De sordidissimo eius vasculo unà bibere non exhorruit, per omnia infirmanti se contemperans, & iuxta

.Cor. 9. Apostolicam eruditionem, ita subueniens, quemadmodum sibi vellet subueniri, si eadem vel simili ægritudine laboraret.

CAP. XXV.

De summa in pauperes liberalitate.

Illud quoque de hoc liberalissimo Imo Dei seruo nequaquam tegam filétio, quòd gladio adhuc accinctus, dum iret ad visitandū *Varlarense* cœnobium cum famulo suo *Giselberto*, quem postea cōuersum vidimus, occurrit mendicus eleemosynā perens. Mox vir misericordissimus nullatenus ferens vacuum abire pauperem, *Giselberto* ait: Remansit oro quicquā in loculis? Respondit, ille etiam *Domi-*

ne,

ne, da inquit pauperi. Quo facto, rursus queri iussit, si quid adhuc foret residuum, iterum ergo datum est pauperi. Sed nec sic quieuit sancti viri larga benignitas quousque tertio quoque totum quod remanserat, pauperi donaretur. Ita *Trinitatis Desica* verus confessor & cultor sine trino munere inopem præterire nequaquam passus est. Famulo quoque suo dixit: Demus quæso egenis quidquid valuerim, quatenus Dei nostri bonitas nouellam plantationem fratrum nostrorum in *Capenberg & Vartare* confirmare dignetur.

CAP. XXVI.

De religioso Comitis Godefridi fratre, castitatis suafore.

CVIUS germanus Otto, quod prætereundum non est, cum esset apud *Elofstat*, illis in partibus diuinæ seruitutis cultum dono Dei ampliauit. *Manegoldus* enim vir nobilis & potens, cuius erant castra

C 4 duo,

duo, *Hagen* & *Virberg*, ab aduersariis
 suis vna cum filio interemptus est.
 Remansit autem totius possessionis
 heres vnica filia nomine *Aurelia*. Quā
 multis vxorem petētibus (erat enim
 satis elegantis formæ) venit *Otto*, &
 dato ei perpetuæ castitatis consilio,
 noctu eam non sine vitæ periculo,
 voluntariam abduxit. Deinde ponti-
 ficali & regali auctoritate subnixus
 multis & variis exegit laboribus,
 quòd simul cū *Aurelia* hæreditas to-
 ta diuinis ministeriis mancipata est.
 Castrum igitur *Hagen* ipse deleuit in-
 cendio, in altero autem fratrum &
 fororum hodie viget religio.

CAP. XXVII.

*De mendacis fama contemptu, &
 eximia in rebus Deo dicatis
 voluntate.*

Quantæ verò puritatis, quantæque
 simplicitatis deuotione *Godefridus*
 cun-

cuncta reliquerit, & ex responso ipsius, quo *Eucruuino* satisfecit, plenissime declaratum est. Ea namque tempestate, qua raptam à Frãcone matronam laboriosè requisivit, *fama*, quæ tam pravi fictique tenax, quam nuncia veri est, mox vndique percrebuit, Comitem *Godefridum* pœnitundine ductum, suam recepisse coniugem, fratresque omnes de castro, quod iam religiosi occupauerant, cum iniuria perturbasse. Talibus figmentis ad *Mosam* usque diuulgatis, venit de finibus illis *Eucruuinus*, nostri *Henrici* germanus, eundem *Henricum* secum sperans accessurum: & salutato Comite, cum benignè susceptus foret, causam aduentus sui requisitus, exponebat dicens: Veni Domine fratrem meum qui apud vos cõuersus est, quem & vnicè diligo, pristinae reuocare professioni, quia iam pridem vos, receptis omnibus, vniuersos fratres expellere cœpisse, longè lateque nuntiatur. Tunc vir Dei alacri vultu re-

C 5 spon-

Sup. c.
14.

Virg.
Æneid.

spondit: Quid ergo? Nonne tuis, amice, oculis in praesentiarum comprobas, ficta esse omnia? Miror quidem valde tantę impudentiæ figmentum. *Qua enim temeritatis audaciā mihi ea usurparem, quorum hodie nulla proprietas omnino mihi residua est, quaeque Dei solius sunt attributa seruitio? Scitum, Deus meus, quod etiam si filios nutriendos ex foemina illa suscepissem, stipem potius necessitatis nostrae ostiatim mendicando, paruulosq; in ceruice mea gestando conquirerem, quam eorum quippiam, quae Dei sunt atq; seruorum eius, aliquatenus temerare auderem. Haec audientes qui aderant, tantam tanti viri sinceritatem, altissimamq; paupertatem vsquequaque non sine fletu mirati sunt.*

CAP. XXVIII.

Godefridi Comititis à laudato viro laus, & aduersarij pudefactio.

TEmpore quo maximè Friderici Comititis aduersus virū Dei seruebat

uebat persecutio, quemadmodum
ab eodem furore suo vel ad modicum
tyranni refracta fuerit immanitas,
occultare non debeo. Accidit ut il-
lis diebus apud *Traiectum* fieret, præ-
sente ac iubente Imperatore *Henri-
co*, Comitum, Marchionum, alio-
rum conuentus nobilium, ubi & i-
psum contigit adesse *Eridericum*. Dū
ergo tractatis nonnullis Imperij ne-
gotiis seorsim in secretario suo resi-
deret Imperator, confidentes forin-
secus Principes, ut assolet, *multa inter
se vario sermone ferebant*. Cum ecce v-
nus Sueuorum Princeps bene Chri-
stianus, dissimulans omnino se, quis
esse *Eridericus*, agnoscere, cœpit illum
facetissima ut banitate, in illius sena-
tus audientia, confutare, hoc modo
Godefridi nostris, eiusq; fratris con-
uersionē inducēs: Paululum, inquit,
ō heroes & cōmitones dignamini
aduertere. Auditū est, & celebri ser-
mone vulgatū in finibus nostris me-
morabile gratiæ Dei miraculū, q̄ vide-
licet

licet Capēbergēses Comites duo, di-
 uina inspiratione cōpuncti, omnia
 sua Domino Deo nostro reddidere,
 ita vt omnis hæreditas ipsorum in
 obsequium pauperū CHRISTI, Deo
 iugiter seruientium cedat in perpe-
 tuum. Felices nimirum viri mul-
 tumque beati, quibus à Domino tan-
 tē virtutis est collata ingenuitas, tam-
 que sublimis propositi feliciter est
 consummata voluntas, qui nostris
 diebus vniuersis CHRISTI fidelibus
 magnificum sanctitatis ac voluntarię
 paupertatis largiti sunt exēplum, sei-
 pso quoque non dubitantes humi-
 liter in eorundem Dei pauperum ag-
 gregare consortium. Sed ecce, ô ne-
 fas, quidam in vicinia illa filius dia-
 boli *Fridericus* nomine de *Arnesberg*
 tantę sanctitatis bonum, vt fama est,
 prapēdare nititur, atque nubilo cæ-
 catus auaritię in ipsum Deum, quod
 nullus ambigit Christianus, infelicia
 bella machinatur. Ego vero si Deo
 nostro hic pessimus mortaliū aliquā-
 do præ-

do præualuerit, minus libenter ipsi Deo me deinceps seruiturum profiteor, qui tantam nominis sui iniuriã propulsare noluerit. Nec tamen desperare queo, in cõflictu isto, Dei futuram esse victoriam. Inter hæc autẽ irrisoria Principis verba, infelix ille grauissima confusione deiectus huc illucque vultum declinabat, loquentis aspectũ ferre non sustinens, nec in tali conuentu præ conscientie impietate, vel mutire præsumens.

C A P. XXIX.

Godefridi apud prædurum Dominum pro vinculis supplicatio.

HOc tamen compertum nobis & certum est, quod post conuentũ illum regressus domum, aliquãtum cepit agere mitiũs, missoq; nuntio, virũ Dei magna cũ lenitate deprecatus est, vt dignaretur Arnesberg ad suũ venire colloquium. Hic sperans
eum.

46 GODEFRIDI COMITIS
eum de animæ suæ remedio quippi-
am tractaturum , paucis fidelium suo-
rum assumptis, in Assumptione Bea-
tæ MARIAE Virginis confidēter ve-
nit ad locum. Vbi dum captiuos,
compeditos, & incarceratos plerosq;
reperisset (semper enim homo cru-
delissimus habebat , quos in catenis
maceratos affligeret) super his, mo-
re suo, viscerali flexus clementiā. pri-
mo omnium pro his rogaturus accel-
sit. Verum ad omnes supplicationū
blanditias ille velut pelagi rupes im-
mota resistebat, non tantæ solemnita-
tis gratiam, non tanti viri reueren-
tiam , non deniq; lamentabilem ca-
ptiuorum miseriam dignatus aduer-
tere.

CAP. XXX.

Dura duri illius Domini mors.

Quid autem mirum si eo tempore
homo sæuissimus nullum pietatis
admisit remediū, qui & ipsā mor-
tis suæ horā nullius preces , nullius

con-

consilium admittens, nec vnum
quidem ex captiuis relaxare voluit.
Mortuus est impius tam tetri, vt a-
iunt, putoris molestiã, vt matrona
que illi assidebat, ipsa etiam post pau-
lulum expiraret, & percussione ty-
ranni gratulantes captiui tunc de-
mum absoluti sunt, frustra tamen,
quia ex eis nonnulli diuturno carce-
ris squalore infirmati spiritum in
breui reddiderunt.

C A P. XXXI.

*Ostentatas contemnit opes Go-
defridus.*

Dolente autem Godefrido, cau-
sa sibi pro qua vocatus esset, non
aperiri, assumptum eum circumducere
cepit Fridericus, murorum edificia,
vel ceteram suppellectilis suæ varietatē
ostentando, cum tamen vir sanctus o-
mnia hæc irrideret, & cuidam suorum,
qui id ipsum mihi arrestatus est, in nu-
es, hæc auribus eius instillaret: Existi-
mas

mat hic homo, me huiusmodi vanitatibus oblectari, sed ego hac vice velut ex necessitate morē ei gerere cōpellor, cum tamen pro cunctis eius, quas ostentat, diuitiis, putris calami precium non commutarem. Paucis deinde illū exhortatus, omnis protinus dilationis impatiens, festinauit ad reditum. Semper enim sæculi tumultus molestissimè ferebat, paradisum æstimans claustrale silentium, & dilectæ sibi solitudinis quietem omnibus Cræsi superponens diuitiis.

C A P. XXXII.

De aduersarij morte dolet Godefridus, pulchreque bona sempiterna pluris quam caduca omnia monstrat facienda.

Post hæc verò, cum persecutoris sui cognouisset interitum, veræ compassionis affectu, memor clemētię, immemor malitię lachrymas fudit,

fudit, per Spiritum in se habitantem,
sciens ad quæ vel quanta supplicia ta-
lis anima iusto Dei raperetur iudicio.
Venerunt quoque sub idem tempus
nonnulli ex ministris eius dicentes:
Ecce Domine, qualis & quam ampla
vobis obuenisset hæreditas, si huius
mundi gloriam, quam possidere va-
lebatis, non vltro placuisset abiicere.
Quos ille indignantis vultu reuerbe-
rans, Quid est, ait, quod pro magno
iactatis? Nunquid nõ omnia relictu-
rus eram, quemadmodũ & iste mo-
riendo reliquit? Ecce interiit, nec iam
sumet omnia, neque descendet cum
eo gloria eius. Scis tu Domine Deus,
quod etiam si sic futurum præuidis-
sem, nequaquam ob hoc tamen con-
uersionis distulisset gratiam, nisi
forte ad amplius dilatandam lauda-
tionis tuæ seruitutem. Quid porro
magnum feci ea relinquendo, quæ i-
psa naturæ conditione mecum per-
manere non poterant? Nonne

D omnia

*omnia quæ tempus peragit, quæque ex-
itus aufert,*

Vilia sunt breuitate sui?

Respondete quæso. Num si vo-
bis opulentissimam ciuitatem vna
siliqua comparare daretur, sili-
quam illam tam lucroso commercio
eligeretis subtrahere, plus diligendo
siliquam, quam ciuitatem amplissi-
mam? Ad quod illi cum responden-
tes dicerent, hoc factu stultissimum:
Longe, inquit, stolidior, lōgeque ve-
sanior est, qui quamlibet amplā hu-
ius mundi substantiam pro regno cœ-
lesti commutare dissimulat. Quis
gloriabitur, imò quis meritò de hoc
remunerari postulabit, si auctori suo
restituat, quod ab ipso accepit? Et ta-
men pius Dominus, etiam in huius-
modi, nobis occasionem salutis con-
stituit, quod sola nimirum di-
gnatione fit eius inex-
haustæ boni-
tatis.

CAP. XXXIII.

De ipsius contra demonum molestias efficacitate.

NOui præterea vnum è fratribus magnæ sanctitatis & grauitatis virum, qui mihi secum de Godefridi meritis conferenti, hoc sermone respondit: Eia frater, quis est hodie mortalium, qui merita sanctitatis eius ad plenum æstimare sufficiat? Ego tanti miraculi exhibitionem per sacramentum illius præsentiam præsens expertus sum, vt longe inferius reputarem fræstrum, vel cæco mihi visum, vel claudogressum, seu etiam surdo restauraret auditum. Solo enim intuitu, sacrique vultus eius efficaciam quotidie infestum à me repellebatur dæmonium. His auditis obstupui fateor, & hæc referenti, Per illum, inquam, te obtestor, qui est vera charitas, ne huius tam fructuosæ, tamque diuinæ rei me fraudes noxia. Tum ille: Eo inquit, anno

D. 22 7400

quo primum mutato habitu monasterium petij, multis me tædiis hostis antiquus, multisque tentationum aculeis incessanter aggressus est, ita ut ipsum dæmonem scapulis meis quodammodo insidentem, & intolerabiliter me ab omni operis deuotione retardantem, continua vexatione sentirem. Hunc ego dæmonem aliquando vehementius insistentem, cum pro posse reluctans, in oratione coram altari sancto prostratus, diuinum inuocarem auxilium, Dominus mihi etiam visibilem ostendit, habitu deformem, vultuque teterrimum. Quotiescunque igitur sic affligebat, currebam & inquirebam sancti viri præsentiam, & continuo eo viso, quasi quodam rore perfundebar, moxque fugam Dæmonis, & mirabile tã corporis quam spiritus sentiebam refrigerium. Quod si præsentem forte videre non valebam, sed tantummodo solam vocem ipsius audire merebar, confestim non dissimili consolatio-

*Sancto.
rum a-
spectus
Sancti
tua salu-
tatis.*

nis gratia refrigeratus sum, adeo ut nullatenas ambigere possem, talia in eo operari presentissimam Spiritus Sancti efficaciam. Quo Spiritu ille illustratus, meas quoque me tacente cognouit angustias, & velut omnia in se mea expertus incommoda, congruam quoque consolationis vocem formabat dicens: Frater mi, consolare, viriliter age, & quories in tantum affligeris, ut ne vnam quidem orationem coram Domino fundere praeualeas, sustine tempus miserendi eius, atque in spe futurae consolationis Dei respira, certissime sciendo, quia iuxta Prophetę veridicam vocem *si abiecit, Thre. 3.*
& miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum. Ita me dulcissimo sermone, & mellitâ Dei melle lingua refouebat, sicque annum fere continuum agonizabam, & quacunque die virum Dei casu aliquo videre vel audire non merui, grauissima ut pręfatus sum, dæmonis infestatione conterebam. Hęc ego dicta vel acta

D 3 Sancti

Sancti fratris nostri nequaquam passus sum tibi silentio, quatenus pia omnis cognoscat anima, quanta in Godefrido nostro reposita fuerit supernae gratiae magnitudo.

CAP. XXXIV.

*Imperatori Henrico quam acceptus
Godefridus.*

OPortebat quodam tempore hunc Dei seruum adhuc ferentem gladium, cum fratrum ita poposcisset utilitas, ad Imperatoris Henrici cognati sui venire colloquium. Erat autem Capellanus eius Eppo, qui postmodum tanti viri exemplo conuersus est, cui tamen interim non valde fuerunt accepta conuersionis Domini sui principia. Hunc ergo cum paucissimis famulis assumens, dum iter aggredi tentaret, ille ausus est dicere: Qualiter, o Domine, tuum Imperator aduentum excipiet? quali putas vultu te egenum aspiciet, & pauperem habitu,

habitu, vel crine deformem? absque
 solita militum frequentia modo ad
 se venientem? Cui vir Dei placidissi-
 me respondit: Hoc, frater, Deo no-
 stro totum committo, in cuius *manu*
cor Regis est, & quocunque voluerit, incli- *Prover.*
nabit illud. Cum ergo venisset ad pa- *27.*
 latium, Imperator licet variis occu-
 patus negotiis, eum videns reiectis o-
 mnibus, à longe cucurrit in ample-
 xus eius, exclamans atque dicens: O
 cognate dilectissime, Deo nostro im-
 mensas gratias ago, quod te videre
 hodie merui. Nec enim hac die talem
 ac tantum, tamque mihi præcipuum
 virum me visurum æstimavi. Ita mi-
 ro susceptum amore, magno quo-
 que eum honore detinebat, & præ-
 cæteris, ad Capellani ruborem, fami-
 liarius habitum, demum non
 absque affectuoso mœ-
 rore dimisit in
 pace.

In arce sua Deo dicanda quam con-
stans Godefridus.

ANtistes quoque porro Monaste-
riensis, cum suggerentibus plu-
rimis, castrum *Capēberg*, ne in partem
seruorum CHRISTI cederet, obti-
nere niteretur, plurimaque loca be-
ato viro in concambium cunctis ac-
clamantibus offerret, ipse super pe-
tram vere fundatus constantissimè
resistebat ita respondens Episcopo:
Frustra, Pater, vniuersi conantur,
quicumque terroribus vel blandimē-
tis propositum nostrum de loci hu-
ius mutatione Dei dono inspiratum,
impedire laborant, quia nulla feram
ratione, vt, me superstitite, deinceps in
hoc loco mundanæ vanitati seruiat-
ur, quin potius id elaborare necesse est,
vt vbi hactenus licentiosa militum grassa-
batur incurfio, illic amodo celestis obse-
qui

MS ab

hoc

sancta

osi me-

amor-

hosis.

et Rom.

s. 9. 19.

quij succedat assiduitas. sufficiunt enim
 prateriti dispendia temporis ad stul-
 torum voluntatem consummandā,
 qui ambulauerunt, vt scriptum est, in
 luxuriis & desiderijs suis. *1. Pet. 4.* Mihi credite,
 etiamsi quadruplo tantum possessio-
 num recompensantes offerretis, nū-
 quam castrum hoc vltorius seculi ne-
 gotijs occupari consentirem. Tanta
 beati viri constantia, talique respon-
 sionum strenuitate confutati, nil An-
 tistes, nil cæteri omnes vltra super
 hac re tentare præsumperunt. Sed &
 tyrannus, quem sæpe iam diximus,
 tremendum verborum eius fulmen
 expertus est, cum foret ex illis vnus
 vir iste, de quibus legimus, quod si
 quis eos nocere voluerit, ignis de ore ipso-
 rum egrediens, deuorabit inimicos eorum. *Apoc. 12.*

C A P. XXXVI.

Ignea in reprehē dēdo peccatorēs vis.

DVm enim ingenitę libertatis me-
 mor GODEFRIDVS, contra se

D 5 Leui-

Leuiatam, mundi despectu, suscita-
cod. 15. ret, mox conturbati sunt Principes E-
 dom, robustos Moab obtinuit furor, indi-
 gnati sunt habitatores Chanaan, quoru
 præcipuus *Fridericus* auaritiæ flamma
 succensus (hæritus quippe diaboli
 prunas ardere facit) possessionibus
 Comitum, filiarum occasione, inhiabat, in-
 stabat, exercitum aduersus Comitem
 ductabat, crebro placitabat, impieta-
 te pro pietate utebatur. Condicta igitur
 die in magnæ multitudinis fre-
 quetia, collatis multis hinc inde ser-
 monibus, demum vir Dei innocen-
 tiæ puritate conspicuus atque liber-
 rimus huiusmodi fulminea Sancti
 Spiritus iacula in illum contorsit di-
 cēs: Eia, miser homo, quid tantopere
 infimis & caducis rebus æstuas? Quid
finitimis inhias contempto limite, agellis?
 Nunquid tu solus habitabis in me-
 dio terræ? Nunquid mundum vora-
 bis vniuersum? Esto; Et quid tibi
Mat. 16. proficit, si totum mundum lucreris,
 animæ vero tuæ detrimentum pa-
 tiaris?

tiaris? Tu quidem filia nobis occa-
 sionem adducis, verum vniuersi no-
 vimus, quantus te insatiabilis avari-
 tia obfideat morbus, qui, mundo
 teste, nec defuncti fratris tui filia pe-
 percisti, sed eadem auaritia vafani-
 ens, captiuitatis eam iniuriis affeci-
 sti. Inter hæc verba mirabili con-
 fidentia, multorum cum stupore,
 mentum illius apprehensum con-
 ciciens adiecit etiam hæc: Ecce fa-
 cies tua iam iamque marcere inci-
 pit, ecce caro vultus tui iam conta-
 bescit, velis, nolis, iam tempus immi-
 net, quo resoluëris in puluerem, &
 redigetur in lutum ceruix tua. Prin-
 ceptis, & vnus ex huius sæculi primis,
 ore vulgari, nominaris: Sed timen-
 dum æstimo ne in futuro sæculo non
 inter primos, verum nec inter nouis-
 simos ac despectissimos compu-
 tari merearis. Tunc ille irridens *MS. nō*
 cum timore respondit: Vos qui- *dum à*
 dem, ô Domine, non tam à Deo Dei *Dea.*
 Spiritu

Spiritu repleti estis, quin ego fieri queam saluus æque ut vos, & vester ille seruus seductor *Norbertus*. Ita ergo ignis ut dixi de spiritali celo descendens, veritatis inimicum vrebat atque consumebat, cruciabat non illuminabat. Nec multo post infelix ille mortuus est, & respiravit mundus tali peste liberatus. Nam & fratres vniuersos nunc minitendo, nunc militari manu terminis eorum proximo, tantis aliquando terroribus concusserat, ut vnanimiter vnâ cum *Godefrido* ac patre *Norberti* facta inuicem confessione, tanquam oues occisionis ceruices pararent, & portis vltro apertis, martyrium indubitanter atque alacriter expectarent. Sed Dominus qui seruos suos, quos per

Pe. 2

vasa iniquitatis probat, de tentationibus nouit eripere, iniquos vero in diem iudicij cruciandos reseruare, egressum eius, insaniam ac superbiam sua potentia irridens circulum in naribus, & frænum in labiis eius posuit, & per
viam

pb. 40.

viam qua venerat, omni quidem labore frustratum, sed voluntate non immutatū redire coegit. Et ille quidem præfatis, CHRISTI pauperibus tanquam Saul malum David quærebat cunctis diebus; Veruntamē Dominus non tradidit illos in manus eius, istos per tribulationes examinās, illius vero malitiam mire tolerando contemnens.

1. Reg. 1
26. seq.

C A P. XXXVII.

Nomina magna, sæculique fumos respuit, & humillima suscipit munia Godefridus.

CŪm autem in medio fratrum positus GODEFRIDVS, vitā refulgeret angelicā, fratres eum vniuersi prout dignum erat, honorabant, & pristino dignitatis nomine COMITEM interdum nuncupabant. Sed ille cuius exemplo humilitatis, vitā quisque suam despiciere cogebatur,

hoc

de pia hoc honoris vocabulum vehementer
umiste- ter expauendo refugit, fratribusque
orum dixit: *Per charitatem Christi* vos obtestor
umili- dilectissimi, ne me seruum omnium vestrum
ste s. deinceps vnquam tali vocabulo contriste-
phrem tis. Sub hoc enim nomine me in mul-
arane- tis excessisse profiteor: meos quoque
2. tom. sub huius auctoritate nominis pluri-
s. Bo- mum deliquisse, dolens & gemens
au. ad recognosco. Sed minimum est hoc
inom. humilitatis indicium, cum aliquan-
de inst. do etiam, quod ad confutandam su-
. Fran. perbiam nostram filere non possum,
Sexem se cloacarium domus nostræ humilli-
la Gal- ma seu extrema seruitute deiectus
icani, exhibuit.
amma
ij, Fa-
iola a-
ud s.
tieron.
et alios.

CAP. XXXVIII.

Hospitale domicilium erigit, in eo-
que pauperibus famula-
tur Godefridus.

Porro charitatis & eleemosynæ
 tantus amor eum deuinxerat, ut
 ipse domum hospitem, quæ hodie
 cernit.

cernitur, per se construeret, per se
 quoque inibi pauperum pedes, do-
 minicæ institutionis minister & cu-
 stos, frequenter ablueret, ac num-
 mos distribuendo singulis misericor-
 diae opus impenderet paternum cir-
 ca eos affectum gerens per omnia, ita
 ut cum beato Iob veraciter loquere-
 tur affectu: *Pater eram pauperum, &* *Iob. 29.*
cor viduæ consolatus sum. Item: Si come-
di buccellam meam solus, & non comedit *ib. 31.*
pupillus ex ea, quia ab infantia mecum
creuit miseratio, & de utero matris meæ *Psal. 112.*
egressa est mecum. Dispersit enim omnia
& dedit pauperibus, ut iustitia eius ma-
neat in seculum seculi, & cornu eius ex-
altetur in gloria.

C A P. XX XIX.

Eius erga inimicos charitas.

Evangelicæ etiam præcepti non
 segnis imitator, inimicos miræ
 innocentiae puritate diligebat, om-
 nesque obtrectatorum iniurias fortif-
 simus.

firmus patientiæ custos magnanima
 æquanimirate sufferebat. Recolo
 quoque verbum bonum, quod à
 quodam familiarium nostrorum,
 qui optime nouerat sanctum virum
 in hunc modum lætus accepit: Vere,
 inquit frater, quid amplius tibi dicā?

Mat. 7 Vir de quo agis, fundatus erat supra
 firmam petram.

CAP. XL.

Virtus.

Cassia-
nus coll.
12, c. 12.

Quis ordo fidelium ampliora his
 virtutibus expetat miracula, cū
 hæc ipsa sint tam admirandæ sancti-
 tatis insignia? illa nimirum sunt diui-
 næ operationis prodigia, quæ cum
 reprobis non possunt haberi com-
 munia, & de quibus Propheta
 gratulatur dicens: Tu es

Psal 71.

Deus qui facis mi-
rabilia.

CAP.

CAP. XLI.

*Æterna vitæ, ideoque & mortis
desiderium.*

Verum præter has, aliasque spiri-
talis gratiæ dotes, quas profecto
mortale non capit ingenium, nec di-
gne promit eloquium, vir sanctus
mirabili atque inæstimabili ad **CHRI-
STVM** transeundi flagrabat deside-
rio, ac inenarrabilibus anhelabat sus-
piriis, propter quod & Dominus pro-
peravit educere illum de medio ini-
quitate. Nam & frequenter, sociis in
itinere quolibet residendo pausanti-
bus, ipse quemadmodum in exequiis
mortuorum membra componi so-
lent, manus & brachia sua composuit
supinus dicens clamore intimo, ge-
mituque vehementissimo: O si ve-
niat hora illi nostri transitus, ô si ad
hanc horam aptare ac præparare me
digneris Domine Deus meus.

*Hoc est
in Lectu-
lo suo
mitari
sape
lister po-
test quis-
libet.*

E **CAP.**

CAP. XLII.

Peregrinatur, & minoribus ordinibus initiatur Godefridus.

Gen. 12. **D**Enique ut summi etiam Patriarchæ non deesset obedientia, dictum est illi à patre Norberto: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Ad quod sine mora, implendum obedientissime paruit, iamque discessurus vna cum venerabili Domino Ottone fratre suo: Ecce inquit frater mi, si quid hactenus re fiduum fuit, quod non perfecta renunciatione calcauimus, iam funditus in nomine CHRISTI deseramus, nihilq; vltra proprium retinentes ad iter obedientiæ alacriter properem⁹. Venit ergo ad locum verè, iuxta nomen suum, à Domino *premonstratum*, electum ac prædestinatum, vbi & origo nostri ordinis cœpit, vbi cū fratre acolytus ordinatus est, ibiq; quâ pluri-

*Vnde
premon-
stratensis
ordo.*

plurimos angelicæ suæ conuersationis exemplis roborauit.

CAP. XLIII.

Venit Elfenstadium, ibique incipit agrotare.

Post annum vero reuocat⁹ ad patrem Norbertum iam Archiepiscopum Magdeburgensem, cum sæculi pompam vel strepitum sancti *In Sa* viri egrè ferret aspectus, Domino e- *1.7 p. 2* lectum suum remunerare disponen- *dicunt* te, lenta cœpit pulsari ægritudine, ac *Elfenst* ceptaque benedictione patris Norber- *dese m* ti, ad Elofttadense declinauit cœno- *naster* bium, vbi hoc ordine post non mul- *um.* tos dies migravit.

CAP. XLIV.

Quæ ad moriendum piis consolatio, pænèq; illecebra sit, ostendit æger Godefridus.

Cum lāguoris molestia sensim per dies ingrauesceret, aderat ei deuo

E 2 ta

ta solitudine germanus eius Otto cum nonnullis fratribus, quibus ipse transitum suum iam iamque desiderare perhibebat. Cumque astantium vnus diceret: Absit Domine. Nequam nos desolatos relinquetis, nobis adhuc pernecessarius estis, vir beatus velut indignantis vultu respondit: Eia frater, quid est quod loqueris? Vt quid oro pœnitentiæ habitum suscepimus, vt quid etiã pro CHRISTO rota die mortificari contendimus, si non per labores hos quanto cyus ad CHRISTVM emigrare concupiscimus? Optandum mihi est via breuiori pergere, atque ad conspectum vultus CHRISTI, quem semper optavi, maturius peruenire. Ad hæc dicta cum germanus eius graui se mœrore conficeret, consolans eum beatus ait: Idcirco, mi frater vniuersa propter Deum abdicauimus, quia nos ad huius horæ necessitatem peruenturos, hæc est, morituros, certissime noueramus, præoptantes atque

que fatagentes, ne huius nos procel-
la discriminis obruat imparatos.
Amplectamur ergo hanc à corpore
peregrinationem, faciamus de neces-
sitate virtutem, gaudentes & gratias
agentes quod de labore ad requiem,
de miseria ad beatitudinem transmi-
gramus. Nec enim poterimus ope-
rum nostrorum retributionem de-
sideratam percipere, nisi contigerit,
hinc per mortis gustum exire. Quia
vero initium est retributionis in obi-
tu securitas mentis, videres illum ni-
hil hæsitantem, nihil pavitantem,
quinimò vehementer exultantem, i-
ta vt liquido in hoc sancto recogno-
sceres, quod fidelis seruus cum vici-
næ mortis tempus agnouerit, de glo-
ria retributionis hilarescit. Vigilantem enim illum inuenit Dominus, ca-
stimonix zona præcinctum, &
lucernas exemplorum
lucis gestantem in
manibus.

(:)

E 3

CAP.

*Oleo sacro ungitur, pieq; in Domino
maritur Godefridus.*

DEinde cum sacri olei fuisset li-
quore inunctus, pacis osculum
fratribus dedit vniuersis, ita dicens:
Ego quidem fratres gratia ordinis ac
zelo diuini honoris, quosdam vehe-
mentius quandoque allocutus sum.
Vnde si quem vestrum offendi, qua-
so, ne dedignetur ignoscere. His di-
ctis, non sermone responsam, sed fle-
tibus: pariterque contristatis omni-
bus, paulo post fratri sic locutus est:
Frater mi, audio vocem dicentem;
Exite obviam ei. Et facto ite interual-
lo, cum frater qui ei sedulus asside-
bat, ab eo inquireret, quid spei habe-
ret, vir sanctus latino sermone re-
spondit: Magnam spem habeo. Iam
enim pro toto mundo paulo diutius

Mat 25.

in hoc nollem morari exilio. Post hæc, paululum conquieuit, apertisque mentis oculis cum ingenti subito exultatione dicebat: Beneueniunt nunciij Domini creatoris mei. Quo dicto debitum creatori reddidit Spiritum atque Idibus Ianuarij, quo die baptismum CHRISTI sancta recolit *d. 13. l.* Ecclesia, beata illa anima carne solu- *na 112* ta, æternæ regenerationis induit can- *mortu.* didatum anno Dominicæ Incarnationis. M. C. XXVI: ætatis autem suæ ferme XXX. migravit ad CHRISTVM. cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CAP. XLVI.

*Felix & gloriosus apparet Godefridus
vita functus.*

Porro Gerbergis Abbatissa, de qua *sup c.* præfati sumus, vnice sanctum virum diligens, sæpius eum discedentem contestata fuerat, vti vel viuus, vel mortuus in breui eam visitaret.

E 4 Cum

Cum ecce illi, in ipso transitu, apparuit miro decore redimitus, aureoque diademate coronatus. Quem illa, transitum eius ignorans, cum requireret dicens: Quid est dilectissime, quod sic coronatus incedis? Ille respondit: Noueris me modo sine dilationis interstitio, sine vlllo grauis examinationis periculo, ad summi Regis migrasse palatium, ideoque tanquam Regis filium beata immortalitate coronatum. Quod ne aliquatenus dubites, ecce scripturam in diademate meo digestam agnosce. Respondit & attendit, atque hoc modo digestum inuenit: *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento letitiae circumdedit me, & tanquam sponsam decorauit me corona.* Tum illa non ignorans quod scriptum est: *Gloria & honore coronasti eum.* Item. *Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso, diuinum aduertit fideliter oraculum, statimque, nobis adhuc ignorantibus, Missas pro eo celebrari*

ai. 61.

al. 8.

al. 20.

si fecit, cum ecce frater eius post ferme dies decem veniens, felicem illius transitum hora eadem, qua nepti apparuit, completum, omnibus denunciavit.

CAP. XLVII.

Deum orat oratus doloremque pellit.

POST excessum sancti viri plurima sanitatum beneficia per illum Dominus operatus est, quæ nobis quidem, ad quos vix famæ tenuis perlabitur aura, nec omnia comperita sunt, nec facile à quoquam sigillatim enumerari possunt. Duo tamen ex pluribus operæ pretium reor attingere. Est locus, in quo sanctimonialium cohabitavit multitudo. *Eltene* Su. 10. 7. nuncupatus, ubi una ex sanctimonialibus acerrimo dentium dolore laborabat. Cumque ingrauescente per singulos dies incommodo nihil obtinere posset remedij, turbata mēs consilium denuo inuenit. *Misit e-*
Elcene.
 E 5 nima

nim Dominus in mentem eius beati
 viri memoriam, quem adhuc viuen-
 tem bene notum habebat, & morte
 obita de virtutibus eius præclara
 multa compererat. Hinc toto cordis
 affectu cœpit implorare, quatenus
 suis apud Deum precibus tanto sub-
 ueniret dolori. Mira res. Vbi comple-
 ta est pie credentis & de sancto viro
 præsumptis oratio, dolor omnis au-
 fugit continuo.

CAP. XLVIII.

*Simile, cum quodam ad matutinas
 Dei laudes excitato.*

Eodem quoque doloris periculo
 quidam ex nostris, qui sancto
 adhuc viuenti familiaris extiterat,
 permultum vexatus & infirmatus
 est. Dictum est illi & consultum, ut
 ad brachij minuendum sanguinem
 phlebotomum posceret, quod agens,
 nihil omnino salutis consecutus est.
 Nouissime cum edidicisset prædi-
 ctum

Ms. po-
 meret.

etum sanctorum remedium, cepit & ipse nostrum fideliter inuocare patronum. Fecit hoc, & mox curatus est. Hic Dei famulus Spiritu nobiscum est gaudens cum Apostolo, & videns ordinem nostrum ac firmamentum fidei, quæ est in CHRISTO.

Cum etiam è fratribus vnus ad *MS. n. 1178.* hymnos matutinos processurus celerius surrexisset, paululum forte resedit in lectulo, & , repentino sopore concidentibus eius oculis, egressa est processio. Moxque vir Dei clarus affuit dormitanti, & vocans eum ex nomine: Frater mi, ait, surge quanto-cyus, quia chorum iam ingreditur conuentus. Ad cuius ilico vocem surrexit, & citato gradu fratres procedentes consecutus est.

(:)

CAP.

CAP. XLIX.

*Eius reliquiarum partitio, & partis
ex Elfstadiano monasterio in
Cappenbergense trans-
latio.*

ANno Dominicæ Incarnationis,
M.C.XLVIII. indictione XI. præ-
sidente sedi Apostolicæ Papa Eugenio,
regnante glorioso Dei cultore Con-
rado, & de peregrinatione sancti se-
pulchri redeunte, vt fratrum Capen-
bergensium satisfaceret desiderio,
venerabilis Dominus Otto, Elofstad
profectus est, conuocatisque fratrib.
dixit, se memorabilis Godefridi ger-
mani sui ossa *Capenberg* transferre, iã
tandem oportere. Hoc enim, inquit,
dum extremum hic spiritum ageret,
à me toto postulauit affectu, quod &
hactenus mea neglectũ desidia, nunc
demum opportunum est, vt sine dila-
tione gratãter adimpleatur. Ilico cõ-
tristati

tristati omnes. æqualis omnium tremor ac perturbatio; vna singulorum voluntas, eademq; sententia, nunquã se tãti fũdatoris, ac Domini sui fraudandos præsentia, vel patrocinio carituros. Istum aiunt, locum desolare venistis, vos qui patronũ ipsius hinc auferre contenditis, quod si vllatenus præsumptum fuerit, omnes nos à maiore ad minorem, de hoc cœnobio in præsentiæ effugatis. Nobis enim ablati, & nobis per diuinæ gratiæ ordinationem donatus est. Quod ergo Deus nobis concessit, homo qualiter auferre præsumat? Ad hæc venerabilis *Otto* respondit cum suis: Poteramus quidem, fratres mei, vos Apostolicæ sedis litteris ad huius rei necessitatem etiam inuitos compellere, poteramus liberius & audacius quodammodo vobiscum agere, si non magis optarem omnia consummari, vestræ vniuersitatis assensione concordi. Iam siquidem diximus, quod hoc viuis expetiuit,

petiuit, quia cœnobium Capenbergense præ cæteris diligebat; sed & ego quod diffiteri non valeo, id me proutius executurum iam iam migraturo coram fratribus pollicitus sum. Illi è contrario, vt supra, se discessuros iactitant, nec id vllius vnquam terrore potestatis elaborandum, vt huic in tanto loci sui detrimento, consensus vnanimi-
 tatem adhibeant. Et cum in-
 finita surgeret altercatio, venerabilis Otto magno curarum fluctuans æstu, nunc huc, nunc illuc celerem diuidit animum, in partesque rapit varias, perque omnia versat. Nouissime vocatis maioribus hæc alternanti potior sententia visa est, & ipsorum consilio ad hoc deflecti consensit, vt reliquias illas partirentur, quatenus & illius, & nostri cœnobij perpetuæ stabilitatis & pacis forent
 tutio.

an. 1148

Ilmestadij ad eius reliquias curata febris.

Denique cum id ipsum agrè permissum fuisset, atque ipso die transitus eius, memorabiles reliquiae cum magni frequentia concursus, de minori ad maiorem transferrentur Ecclesiam, hoc quod eiusdem cenobij fratres diuiniùs accidisse mihi fideliter attestati sunt, ad CHRISTI gloriam reticere non debeo. Matrona enim quaedam amplæ satis familiae *Mathia* nomine, quæ eatenus febribus vrebatur, nec ab aliquo curari poterat, per eius medici omnipotentiam, qui per suæ humanitatis præsentiam socerum *Simonis* à febribus liberavit, ad *Godefridi* reliquias repente sanata est. Vnde ipsa quæ non ingrata deinceps ad sacram eius tûbam præ ceteris attentius excubabat, & sanctas reliquias indefessis

ora.

*Mat. 8.
in choro
Ilmsta-
diensis
monaste-
rij, ante
summum
altare,
tumba
hac est.*

80 GODEFRIDI COMITIS
orationum suarum frequētabat mu-
neribus.

CAP. LI.

*Cappenbergensis cœnobij, ad B. Gode-
fridi reliquiarum aduentum,
exultatio.*

Post hæc, pridie Idus Februarij,
portio reliquiarū, quæ nobis ob-
uenerat, à fratribus nostris, cum sum-
mę deuotionis alacritate suscepta est,
ita vt in die illo, nouo quodam & mi-
rabili gratulationis tripudio fratrum
nostrorum perfusa vniuersitas sit, &
quodammodo nobis illuxerit *Iubi-*
leus, qui est annus iubilationis ple-
nus. Nam sicut legimus,

N^o. 36.
Deu. 15.

Iubileus adest (annus remissionis)

proprij distractio ruris,

Antiquo donatur hero: seruire coactos

Libertas amissa petit, mala debita laxat

Creditor, & limen patriæ vetus aspicit
exul:

Ita nimirum & nostra societas in hu-
ius

ius patroni aduentu, velut antiquæ
seruitutis mœrore proiecto, nouæ li-
bertatis & exultationis gratia dona-
ta est, sentiens per eum vberiore
diuini respectus benedictionem cõ-
secutam.

C A P L I I.

*De Cappenbergensi Godefridi
cumulatione.*

DEinde anno sequenti, sextodeci- *Anno*
mo Calendas Octobris, sacra of- *1149.*
fa, multis astâtibus, in sanctuario no-
no venerabiliter ab Antistite Mona-
steriensi *V*Vernero reposita sunt, ex
quo nimirum tempore ipsa rerum
experientiâ cognouimus, quod su-
perni muneris abundantia intus &
foris, magis magisq; cumulati sum⁹,
ita vt historiæ illius recordari possi-
mus, qua dicitur: *Benedixitq; Dominus* *Genes.*
domui principis militum, & multipli- *39.*
cavit tam in edibus, quam in agris, cun-
ctam eius substantiam propter Ioseph.

F Nos

Nos itaq; quemadmodum ille Princeps exercitus, huic nostro Ioseph votis assiduis domū delegemus gubernandam, creditis ille omnibus, quia profecto nostra omnia sub meritorum eius manu perpetuo benedicenda & promouenda indubitanter confidimus.

CAP. LIII.

Aliū repetita Godefridi stirps.

Porro de antiquis possessoribus Capenbergensis castri, qui de Magni Caroli & VVidekindi Regis progenie per Imezam quæ Xantis quiescit (quia, ut aiunt, sororis suæ filiam, Carolus tãquam pacis obfidem VVidekindi filio dedit vxorem, & à cuius posteris curtem VVilde obtinemus) descendisse traduntur, quorum hodieque in multis excellens claret magnanimitas. Vnum hinc Hermannum Comitem vna cum deuotissima eius coniuge Gerberge de Hune-

*Vel, V-
mel. 477.*

*De hoc
sup. c. 1.
E. 2.*

Huneburg Dei cultorem præcipuum
 necessariò inducimus, cuius stirpem
 ingenuam ad nos vsque pertingen-
 tẽ filëtio præterire pro gratiæ CHRI-
 STI commendatione non debemus,
 Deus enim omnipotens, cuius dispo-
 sitio in sui ordinatione falli non potest,
 in huius filiis hæreditatem partitu-
 ris, magnam suæ bonitatis ostendit
 euidentiã, dum omnibus nefariæ
 factionis traditione circumscriptis,
 vel vnum interneconi subtrahen-
 do futurorum vtilitati reseruare di-
 gnatus est. Eckericus enim quidam
 potens & nobilis, cum eisdem filiis
 Dominis suis fidele iurasset domi-
 nium, cœpit denuo illis nil minus
 opinantibus, clandestinis machi-
 nationibus aduersari, quærens qui-
 bus eos dolis extingueret, quorum
 dominio integram fidelitatem & o-
 re firmauerat, & beneficiis obliga-
 tus debebat. Dispositis tandem infr-
 diarũ latibulis, eos velut ipsius cau-
 sã in Lunensi placito suffragaturos,

M. S.
 Paris.
 ris.

ma-
 tu-
 apen-
 rg mi-
 ris &
 o dist-
 m.
 n ho-
 re
 reue-
 rock?

humiliter imò fraudulenter euoca-
 uit. Sed nutu diuino tertius qui & iu-
 nior erat, pridie pedem sauciatus,
 proficisci nullatenus assésus est. Quid
 multa? Veniunt ad fraudis opertum,
 & ex medio nemoris, quod hacten-
 us de cæde ipsa trahit vocabulum
Greuenlo, profiliétibus hinc inde mi-
 litibus, bini cum duobus fidelissi-
 mis famulis interempti sunt. Pro quo
 scelere non lōge post homicida per-
 fidus, capite truncatus, & sursum ver-
 sis pedibus ignominiosè suspensus
 est. Solus *Godefridus*, hoc enim nomé
 erat superstites, domi, vt diximus, re-
 sidens, euasit, de quo noster *Godesfri-
 dus* ortus & nuncupatus, regionis
 VVESTPHALIAE lumen effulsit.

CAP. LIII.

De quarundam in Sueuia possessionum
 venditione, & S. Ioannis Apostoli re-
 liquiarum in Cappenberg al-
 latione.

P Ræterea factum est vt Comites
 Capenbergenses *Godefridus* & Ot-
 tore-

to relictis omnibus CHRISTI se iugo subiicerent, & habentes iuxta *Sueuiam* castra duo *Creinekke* & *Hilderadehusen*, ministerialesque plurimos, & ad duo circiter millia mansos, his quoque omnibus, sicut & cæteris quâto cyus exui festinarent. Proinde *Fridericus Sueuorum Dux* oportunitatem naetus hos *Comites* adiit, flagitans, cognationis gratiâ (nam ipsius, horumque Comitum auixæ sorores fuerunt) vtî memoratas possessiones ab eius manu non elongarent, quia licet dignè appreciari non sufficeret, libens tamen aliquantum precij ad illorum offerret arbitrium. Cui tanquam cognato suo illustres viri plurimum beneuolentiæ impenderunt, deditque solummodû marcas quingentas, & pro marcis centum, reliquias IOANNIS APOSTOLI, satis pertinaciter asseuerans, huius quantitatem pecuniæ, quam tantæ gratiæ thesaurum, se dare maluisse. Hasi-
gitur memorabiles reliquias vene-

F 3 rabilis

rabilis Otto , præcipuus Ioannis dilector nostræ lætabundus inuexit Ecclesiæ , atq; in capite reposuit deaurato , quibus & multo caritatis affectu reditus ad luminaria continua delegauit , & dimidiam ad minus argenti marcã emedis fratrum piscibus , sed & ripa Rheni dimidiam vini caratam , ad festiue celebrandam eiusdem Apostoli *assumptionem* deputauit . Similiter quoque in *sesto illius ad portam Latinam* . Hæc itaque de patrono nostro tantisper libuit annotare , quatenus cum de thesauri huius veritate non ambigitur , amplior cunctis fiducia feruentiorque deuotio in beati Apostoli laudibus excitetur .

CAP. LV.

De Godefridi stemmate, vita religiosa & constantia repetitio.

Pater Comitum Godefridi & Ottonis, Godefridus vocabatur, mater eorum

eorum *Beatrix*. Pater eorum de
 VVestphalia oriundus fuit, mater
 vero de Sueuia. Defuncto *Godefrido*
 patre eorum, *Beatrix* maritum ac-
 cepit *Henricum* Comitem de *Ryete-
 beke* fratrem videlicet *Friderici* Co-
 mitis antiqui de *Arnesberg*. Iam di-
 ctus Comes *Henricus* procreauit de
Beatrice Comitissa filiam nomine
Eileke, quam *Eilekam* vxorem du-
 xit Comes *Eigelmarus* de *Aldenburg*,
 qui ex eadem *Eileka* filios genuit
Henricum & *Christianum* Comites,
 & *Ottonem* fratrem eorum & *Eile-
 kam* matrem Comitis *Simonis* de *Tyt-
 neburg*. Compunctus est paupertatis
 spiritu Comes quidem VVestpha-
 liae potentissimus *Godefridus* nomine,
 qui accessit ad beatum *Norbertum*,
 eò quod de ipso multa audisset. Sed
 cum adhuc maiora vidisset, omne
 consilium suum & voluntatem ei a-
 peruit, & qui se totum iam Deo vo-
 uerat interius, sine mora de omni-
 bus relinquendis, & amplectenda

An h
 die Ro
 berg?

Hinc
 appar
 ista su
 person
 Gode
 fridi
 mitis
 ta ali
 de at
 texta

paupertate voluntaria perdocetur
 exterius. Erat quippe diues, potens in
 armis, utpote homo iuuenis, in præ-
 diis multis, seruis & ancillis locuple-
 tatus, quibus mox omnibus relictis
 se & sua omnia Deo per manus ho-
 minis Dei disponenda contradidit
 eo tenore, ut propriæ domus, id est,
 castri *Capenbergensis* transmutaret fa-
 stigia consecrandi gratiâ, ut ubi re-
 gnauerat vitiorum execratio, virtu-
 tum ibi locum faceret diuinæ bene-
 dictionis consecratio. Quid faceret
 iuuenis certamen fortissimum bel-
 laturus? Erat enim illi vxor, & fra-
 ter eo iunior, qui per omnem mo-
 dum quodcunque disposuerat, face-
 re, contradicebat. Obstabant & ho-
 mines fœdati, serui, ancillæ ministe-
 riales. Contraibat Comes *Fridericus*
 pater vxoris suæ, ac eleemosynam
 quam fecerat, filix suæ dotem esse
 dicebat. Quid dicam? Manus eius cõ-
 tra hos omnes, & manus horum o-
 mnium contra eum. Geritur bellum
 non

pen-
 lati seu
 euda-
 arj.

non armis materialibus, sed fide, nō
 contentione, sed ratione, non arma-
 torum turbis, sed Angelorum suffra-
 gio spe cœlesti galeatum, & superna
 loriatum virtute. Vicit tandem hu-
 milis importunitas, quam oportune
 plantauerat, & comitabatur spes cœ-
 lestis beatitudinis, & perfecta humi-
 litas. Vicit quidem, quia & vxor con-
 sensit, & frater leonino furore depo-
 sito, agniam mansuetudinem as-
 sumpfit, & religionis habitum, quem
 ipsum Comitem velle nouerant, v-
 terque suscepit. Gauisus pater Nor-
 bertus, gauisus est & ipse Comes, &
 redditis omnibus Cæsari, quæ Cæ-
 saris erant, & quæ Dei, Deo retentis,
 tres de propriis allodiis ordinante
 patre Norberto construxit, in quibus
 fratribus positus, & religione ordina-
 ta, cum Dei seruitium eleganter im-
 pleretur, non defuit tentatio, & ma-
 lignorum spirituum persecutio. Nā
 Fridericus pater vxoris Comitis, am-
 bitioni suæ indulgens, eo quod ca-

F 5 strum

strum Capenbergense dominatum re-
 nuerat V Vestphalię, prætendens do-
 tem esse filię suę, comminatus est fra-
 tribus, quod nisi citius recederent ab
 eo, cunctos interficeret. Aliquoties
 etiam cum equitatu suo illuc vsque
 accedebat, patri Norberto comminās,
 quod si ipsum teneret, cum asino suo
 eum suspenderet, & æqua lance pro-
 baret, quis eorum ponderosior esset.
 Tam superbæ locutioni qui aderant
 nobiles cōtradicebāt, & pro hoc ver-
 bo iram Dei super eum vêturam cō-
 minati sunt. Nam ultra etiam Rhēni
 pluris habebatur, nec ferre poterant,
 si à quoquā ei detraheretur. Fratres
 ergo Capenbergēses in arcto siti pro-
 pter manum potentis & iniqui, mi-
 serunt ad patrem suum vt subueni-
 ret, pariterq; superbi hominis arro-
 gantia verba nunciantes. Tunc col-
 lectis viribus fidei & spei ad illum
 qui dixit: *Confidite, ego vici mun-*
dum, se totum contulit, & publice
 pronunciauit, se cum asino suo terrā
 illius

illius ingressurum, & copiam sui se daturum. Quid multa? Quamuis inter longum esset, tamen afinum suum mutare noluit, sed transito Rheno, terram illius intrauit, nec longe post, ille pacis inimicus interiit. Sic iste inermis de immani tyranno triumphum accepit, pacatisq; omnibus, in tribus, vt diximus, Ecclesiis, de eodem alodio seruitium Dei omni tempore agendum ordinauit, in quibus fratrum & sororum vsque hodie viget consecratio, & in cultu diuino floret honesta religio.

NOTATIONES DVÆ Prior.

Habetur positum iã caput in S. Norberti Archiepiscopi Magdeburgensis & Præmonstratensium Monachorum Patriarchæ historia cap. 30. apud Surium Tomo 3. die 6. Iunii p. 533. eique alia de Comite alio adiungitur cap. 13. narratio, que, quantum apud multos ac magnos, spiri-

spiritalis emolumentum pepererit Godefridi nostri mutatio, perspicue indicat hisce verbis: Cum in Franciam reuerteretur Nortbertus, & fama de conuersione supradicti Principis (Godefridi) mirantibus multis diulgaretur, quod cum habitu in monasteria mutasset castra, totumque Comitatum seruitio Dei mancipasset, exemplo eius commotus & compunctus quidam nobilissimus Princeps, Comes Theobaldus, hominem Dei adiit, de salute sua & de remissione peccatorum suorum simili modo consilium questurus. Sed cum eum S. Nortbertus audisset, patrem esse orphanorum, tutorem viduarum, nutritorem pauperum, solam leproforum, ipsi, accepto post datas inducias, diuinitus consilio, dixit homo Dei: Iugum Domini, ut accepisti, cum iugo matrimonij portabis, & semet tuum, cum benedictione, patrum tuorum precedentium terram largissimam obtinebit. Penes hunc Lectorem, quanta fuerit in viro Dei

Omit-
suntur
nonnul-
la.

An non
iste Co-
mes
Theo-
baldus,
de quo
in suis

Dei virtus discretionis, qui ex duob⁹
 Principibus, alterum voluerit cun-
 ctare relinquere (Godefridū scilicet) alteri
 verò (nimirum Theobaldo) præcepit,
 tanquam nihil habentem cūcta pos-
 sidere. Considerauit quippe in alte-
 ro, quòd aliena etiam, ab egenis ra-
 peret: considerauit in altero, quòd
 propria egentibus largiri non cessa-
 ret. *Hæc ibi.*

*epistolæ
 S. Ber-
 nardus
 toties?*

POSTERIOR NOTATIO.

IN manuscripto post omnia, quæ de B.
 Godefrido allata, subiungebatur de Ci-
 sterciensibus Monachis, & de S. Bernar-
 do, qui iisdem cum Godefrido ipso Comi-
 te vixit temporibus, nonnulla. Sed cum ea
 temporis tantum ratione trahi huc pos-
 sint, omitto, præsertim cum è lib. 1. vitæ
 S. Bernardi c. 4. sumpta penè sint omnia.
 In ipsorum tamen locum sufficiatur, quæ
 in Suriano Tomo 7. p. 26. de nostro isto le-
 gitur historiola. Quidam ex fratribus
 nostris (Præmonstratensibus) Sacer-
 dos fistulæ morbo dies non paucos
 adeo

adeo afflictus fuit, vt vix mouere se
 posset. Itaq; alienis manibus ad tem-
 plū adducebatur. Interim aduenit an-
 niuersarius Comitris Godefridi dies.
 & ecce frater iste, non sine multa dif-
 ficultate, ad templum reptans, vt illic
 vere Dei vigilias celebraret, ad ady-
 tum, siue chorum eius peruenit. Tū
 vero ab imo pectore, cum multis la-
 chrymis depromens preces, salutis
 rogabat auctorem Deum, vt inter-
 cessione viri Dei sospes & incolumis
 effici mereretur. Preces illas repenti-
 nus effectus consecutus est. Cœpiti-
 enim sensim mox euanescere morb^o.
 Proiicitur baculus: subsequiturq; sa-
 lus. *Atque ista de Beato isto Comite ha-*
ctenus. Ad alterum, qui isto antiquitate
multo superior est, progrediamur,
Sanctum videlicet ROMA-
R. I. C. V. M.

Ad Lectorem.

Perceleberrima in Lotharingia, maxime sub Mosella amnis principia, S. Romarici nomen. De huius vita quatuor mihi Gallicos, plusculis ab hinc annis, Herbipolim misit libros Reuerendus ac pius Ecclesia Deodatus Canonice Dominus IOANNES BRISSONIVS. Ex iis tum breuem confeci Epitomen, sed eam in chartis meis, ut superiori Comiti, ob sanctioris vita similitudinem, Comes hic alter adiunctus prodiret, cum requirerem, ne foliolum quidem inuenire potui. Aliam igitur hanc, quam do, caepi: sed ita, ut (cuius in manu illo scripto Codice vestigium nullum) narrarionem de Sancti huius lapsu ac paenitentia omittere non putarim, prout infra

frā

96 GODEFRIDI COMITIS
frà cap. IO. & II. videbis simulque
de S. Arnulpho paucula c. 9. Catera
ex illo prompta omnia, quem scri-
psit & Anno Domini CIO IO
LXXXIII Romaricimontane Ab-
batisse Domina Barbaræ Comi-
tisse Salmensi dedicavit Heruallen-
sis cænobita, qui se vetera Romari-
ciana illius Ecclesie tabularia
librosq; omnes excuf-
sisse profiteretur.

Nota-

SANCTI ROMA-
RICI COMITIS AV-
STRASII VITA.
CAP. I.

*Sancti Romarici genus, & paren-
tes.*

E prænobili Sicambrorum
genere ortū duxit S. RO-
MARICVS, & quidem vt
existimat recentior eius
vitæ scriptor, è *Faramundi* Francorū
Regis posteritate. Ipsius parentes fu-
erunt non stirpe magis quam Chri-
stiana Catholicaque fide conspicui:
pater quidem *Romulphus*, magnus in
Theodeberti Austrasiorum Regis
aula Princeps; mater autem nomine
Romulis aut *Romulida*, quibus in Me-
tensi vrbe palatium, Ille pro insigni
G sua

MS. V. 2.
c. II.

sua in suum Regem fide, quoad licuit ac potuit, contra illius & fratrem & hostem Theodericum Burgundionum Regem, fortiter depugnauit. Sed posteaquam, occulto Dei iudicio, cruenta prope Tullum inter hosce Reges pugna fuit, & Theoderico cessit victoria; captus est, neque multo post à fratre occisus cum filiis duobus *Theodebertus*. ideoque nec Romulpho parcitum: sed ab eodem *Theoderico* interemptus, & eius penè omnes in fiscum redactæ facultates, arces ac prædia in quibus fuit terræ non parùm ad *Mosellæ* ànis ripas, præsertim in ea *Iura* seu *Vogesi* montis parte, per quam fluere incipit ille *Ausoniano* versu celeberrimus fluius. vbi & castrum habuit lidem Princeps in vno quodam editissimo montis huius iugo. *Auendum* vel *Auendunum*, alias *Habendum* & *Habendunum*, vulgari tum lingua *Habspurg*, de quo postea sapius. Sepultus vero fuit, vna cum defuncta tandem coniuge, *Romocurii*

M s. l. 2.

c. 3.

De

Roscere

stemm.

Loth. 10

p. 2886

l. 2. c. 4.

ib.

quod olim *Montfortium* ; vbi adhuc hodie vtriusque cernuntur ossa & monumentum.

C A P. II.

*S. Romarici nomen, forma, prima
ætas.*

MS. l.

c. 1. c.

li. 3. c. 1.

qui a

dit et

sigebe

rã Chi

debert

patren

Theod

berti

nũ. qu

regna

cepit e

no Dor

565. fil

deince

Vnde

Roma

ci assu

t italla

gust.

Romulphi & Romarici nomina *initium* videntur habere à gloria, quæ *Rhum*, aut *spacio*, quod *Raum* vocatur: *finem* vero, illud quidem ab auxilio, quod *hũff*, istud à potentia: vt sit *Romaricus loci* aut *gloriæ diues* ac *potens*. Et hic quidem forma traditur admodum eccellente, bonisque corporis viribus fuisse. Primis statim annis, vt Christianæ fidei præceptis erudiretur, Deique timore imbuere tur, operam dederunt parentes: & primam ferè ætatem in Australiæ Regum Childeberti ac Theodeberti, aula exegit. Quia vero ad huius fines venit aliquando Sanctus **CO**
LUMBANVS, eique pergratus

G 2 fuit

fuit, per occasionem istam factum ut cum Sancto isto ageret S. *Romaricus*, eiusque doctrina & exemplo ad perfectioris vitæ studium valde inflammaretur. Accedebat, quod maxima ei cum S. *Arnulpho* familiaritas ac necessitudo intercederet, ab eoque ad maiorem Dei cultum excitaretur plurimum, sic ut quodam tempore ipsis pænè decretum esset, ad Lirinense B. *Honorati* monasterium sese conferre, ibidemque religiosam sectari disciplinam. Sed utrumque ad alia quædam destinarat Deus.

CAP. III.

S. Romarici in paupertate ac iniuriis tolerantia, & ad pristinas fortunas restitutio.

Theoderici Regi tyrannide, orbatus S. *Romaricus* & parente, & fortunarum parte longe maxima, tenuio-

nuiorem iam *Metis* domi suæ vitam
degebat; eique tunc visum *Brunechil-*
di Reginæ, quæ Regis auia erat, plu-
rimumque apud ipsum poterat, sup-
plicare, vt in pristinas restitueretur
possessions. Sed eius preces ferox
aspernata est mulier, cui etiam astitit-
se tunc dicitur parum mitis episco- *MS. l. 2*
pus, *Aridius* nomine, qui non modo
non iuuerit supplicem, sed impedi-
rit etiam, eiq; in faciem nimia cum i-
ra pedem impegit. Ab hominibus
igitur tanta cum iniuria repulsus *Ro-*
maricus ad Deum, pauperum & affli-
ctorum vindicem ac patrem sese cõ-
uertit: & ad *Metensem S. Martini* æ-
dem sacrã profectus, beatissimi hu-
ius Antistitis preces ac patrocinium
magno pietatis sensu obsecrauit. Nec
frustra. Nam cum *Theodericum* il-
lum nepotem suum veneno, vt à ple-
risq; scriptum, sustulisset *Brunechil-*
dis, scelerumque premente consci-
tia extimesceret omnia, eorum, qui
vel propter potentiam, vel propter

102 ROMARICI COMITIS
genus, aliaue ornamenta eminebant,
animos instituit captare, ipsique Ro-
marico ademptam reddere paternam
hæreditatem. Sicque deinceps Pala-
tij Comes in Clotarij secundi, & huius
filij Dagoberti aula fuit.

CAP. IV.

*De S. Romarici coniugio, prole, & no-
uo religiosa vitæ proposito ac
occasione.*

18. l. 2.
1. **V**Xorem profapia opulentiaque
non imparem, sed cuius ignora-
tur nomen, duxit Romaricus, & ex ea
filias suscepit tres *Aselbergam, Adalsu-
dim, & Segebergam*, quæ ob formam
& corporis animique candorem &
claritatem *Clara* etiam dicta. Pie, ca-
steque ac sancte institui omnes cura-
uit, adeo vt posteriores duæ suam
Deo consecrarint virginitatem, pro-
ut inferius dicetur. Prima verò
Aselberga, præter piam parentis vo-
lunta-

luntatem, sancto castitatis proposito
coniugium prætulit. Accidit vero,
vt Sancti *Columbani* in Luxouienſi
Monasterio ſucceſſor, magnæ virtu-
tis ac zeli vir B. *Eustachius* (aliàs *Eu-
stasius*) è sanctæ illius disciplinæ a-
lumnis, qui infra ſexcentos vixerant,
nonnullos doctrina, zelo, ac virtu-
te præſtantes ea in loca, vbi vel ido-
lorum adhuc vigeſat ſuperſtitio, vel
minor Chriſtianæ pietatis ac perfe-
ctionis cura videbatur, ablegaret,
vt Apoſtolorum inſtar, diuini verbi
ſemen ſpargerent, idolorum cultum
omnem euerterent, Chriſtianæ ſan-
ctitatis ignem accèderent. Hos inter
fuit B. *Amatus*, qui *Metas* cum ve-
niſſet, à S. *Romario* benigniſſime hi-
lariffimeque acceptus, priſtinam in
eo perfectioris vitæ flammam arden-
tibus piſſque ſermonibus renouauit,
die præfertim quodam, cum ab il-
lo rogatus fuiſſet, vt ſuper menſa,
dum cibo reficeretur corpus, aliquid
quo & paſceretur animus, diceret. Ille

H 4 vero

vero mensam videns aureis, argenteisque lancibus & poculis onustam, occasionem exinde accepit, ut de fluxa horum, similiumque bonorum natura & inconstantia differeret. Qui eorum, aiebat possessores sunt, ij sæpissime illorum non tam Domini, quam serui sunt. Vere autem Domini sunt, qui iis ad summi eternique Domini voluntatem ac nutum, ad animorum suorum utilitatem ac salutem bene utuntur. Et cum ista in rem plura differuisset, ita sermonem clauderebat, ut sapientissimum & quodammodo felicem monstraret, qui

19. Domini vocem audiret: *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo:* Commouerunt hæc & similia valde omnium, qui ad bonum semen terra
13. bona erant, sed imprimis Romarici Principis animum, in quo vetus ille religionis amor ac desiderium, quo flagrarat adolescentior, inflammari rursus ac reuiuiscere cœpit ilico.

CAP.

CAP. V.

*Quomodo suas res aliquo modo com-
posuerit: & cum suorum vel
familiarium vel famu-
lorum pluribus cœ-
nobiū inierit.*

SED antequam Vale huic sæculo MS. l. 3
c. 1.
posset facere, omnium quas relin-
quere statuebat, rerum componen-
da fuit ratio. Itaque suum filiabus a-
nimum exposuit, & quas ad perpe-
tuae virginitatis custodiam iam pri-
dem magnopere hortatus erat, si-
mulque possessionum suarum, quo-
ad eas, quibus videretur, tribueret,
administrationem amicorum bonis
fidisque commendauit. Sed vniuer-
se omnes ad humanarum rerum cō-
temptionem, idemque secum vitæ
suscipiendum genus inuitabat, sic vt
è familiaribus ac famulis fuerint cir-
citer triginta, qui præeuntem se-
qui

G 5

qui Dominum, cœnobicamque
 cum eo complecti vitam statuerint.
 Qua ipsorum voluntate admodum
 letatus & cæteros præmiis quidem
 pro fideli hæctenus præstito obsequio
 maximis affectit, quosdam etiam li-
 bertate donauit. Hos vero XXX. ad
 cœnobium, quasi suos iam in via Do-
 mini socios ac fratres, ducere voluit.
 Ipse igitur, die præfinito, cum istis om-
 nibus, & duce ac Magistro suo *A-*
mato, in viam se dedit: ad Luxouien-
 se Monasterium adiit: se, suosque istos
Eustachio Abbati obtulit, magnopere
 rogans, vt ad sanctum illum, qui ab
 eo in omni sanctitate ac innocentia
 regebatur, cœtum aggregaretur, om-
 ne officium, obediẽtiamq;
 religiosam ex animo pol-
 licens. Et vero im-
 petrauit.

(:)

CAP.

CAP. VI.

*Quemadmodum in cœnobitica vita
seſe exercuerit Romaricus.*

In ito religioſæ vitæ ſtatu, omnem *MS. l. 3*
 in eo curam ſtudioſumque colloca- *c. 1.*
 bat Romaricus, vt in omni erga De-
 um & homines charitate, quæ vera *Rom 13*
 Chriſtianæ vitæ perfectio eſt, pro- *1. Corin*
 greſſus faceret maximos, huiusque *13 & 14*
 rei cauſa in precibus, diuinarumque re-
 rum meditationibus erat plurimus:
 ſed præcipue obedientiâ, animique de-
 miſſionem ſectabatur: ita vt ſe iis,
 quibus in ſæculo famulis quondam
 uſus erat, ſponte ſubiiceret: eaque li-
 benter, quæ viliora & contemptiora
 videbantur opera ſuſciperet omnia
 Manuum ei opus fere fuit, hor-
 tum fodere, irrigare, aliâ-
 que omni curâ co-
 lere.

CAP.

Quomodo castrum suum Auendunense in Monasterium vertit, pluresque circumcirca erexerit parthenonas.

15.13.
1. **D**Vm in Luxouienſi cœnobio, vitæ, quam dixi rationem teneret, agitabat ſubinde animo, quemadmodum ad DEI gloriam & cultum bona, quæ in ſæculo multa olim ac magna poſſederat, conuerteret. Succurrit autem ea ipſi cogitatio, vt ad perfectionis ſtudium, ſanctæque caſtitatis obſervationem quamplurimos & quamplurimas traduceret: hiſque, in fundis prædiſque ſuis, oratoria, domos, & quæ ad victum, veſtitumque futura erant neceſſaria omnia conſtitueret. Beati ergo *Euſtachi* Abbatis bonâ venia, cum ab eo etiam *B. Amatum* Magiſtrum, ſpiritalemque Patrem ſuum itineris, operiſque totius ſocium, directorem, & mode-

moderatozem impetrasset, in vicinā
 Luxouienſi Monasterio Vogefianam
 ditionem ſuam profectus eſt, & ar-
 cem, quam in præcelſo montis iugo
 habebat Auendunenſem, quæ idolis
 quondam & Principum venationi-
 bus ſeruierat, Deo dicare, viro-
 rumque, qui è Sancti *Columbani* disci-
 plina colere illum vellent, ſedem ac
 monaſterium facere decreuit: ſimi-
 literque virginibus, quæ ſuum cœle-
 ſti ſponſo pudorem conſecrarent,
 parthenonas excitare. In his autem
 excitandis ſacrum quoddam ſecutus
 myſterium eſt. Nam in montis cacu-
 mine templum & oratoriola varia
 condidit: circum vero montis radicē
 cœnobiola ſeptem in quibus ſingulis
 eſſent ſanctimoniales XII. Nam ſeptē
 Apocalypſeos S. Ioannis Eccleſias,
 ſeptemque candelabra, ſeptem ſtellas
 ſeptemque Angelos conſiderabat.
 Rurſumque, XII. Apoſtolos XII. por-
 tas Hieruſalem cœleſtis, XII. tribus I-
 ſrael, vt quemadmodū ab his omni-
 bus

MS. li 3.

c. 3

Apoc. I.

et ſeq.

110 ROMARICI COMITIS

bus in vna sancta fide, spe & charitate laudatur Deus, sic, ab omnibus hisce sacris fieret & dibus: Et quando vel matutinæ, vel alius alicuius precis in montis cacumine signum daretur, ilico subdita cœnobiola omnia diuinam maiestatem dilaudare ac obsecrare inciperent, sicque mons totus diuinis personaret, ac veluti Sinai fumaret laudibus. Nam & si duæ, quarum vertex vnam, alteram S. *Amati* rupes tenebat, Ecclesiæ hisce subditis septem coniungantur, nouem veluti Angelorum chori erant, qui sine fine Deum concelebrant, ac dicunt SANC TVS, SANC TVS, SANC TVS. Ideo enim & à vicinis populis olim vocabatur locus hic *Neunte* *che* id est, nouem ecclesiæ. Hodie vna vero illis vulgari lingua vocatur idem mons, *Le saint mont,* id est, sanctus mons.

Exod. 19

Isai. 6.

CAP.

CAP. VIII.

Adductæ cælesti Regi virgines multa per S. Romaricum.

Percrebuit verò confestim longe Ms. l.
 ac latè cœpti tanti fama, & præter c. 2.
 viros, qui Monasticen adamarunt,
 complures ex ipsa etiam Sancti vel
 stirpe vel aula; plurimæ ad S. *Roma-*
ricum è splendidis nobilibusque fa-
 miliis virgines venerunt. Omnium
 tamen primæ duæ ipsius Sancti filiaë,
 quas virginitatis tetigerat, vt antea
 dictum est, illibataë amor, & ex ea-
 dem cognatione aliaë, inter quas ex-
 celluit Sancti ipsius neptis *Gebetru-*
dis, sicuti & in virorum cœtu hu-
 ius frater *Adolphus*. Nam cum pri-
 ma, vt ibidem tactum, è Sancti fi-
 liabus matrimonium delegisset, nu-
 pfit nobilissimo splendidissimoque
 quidam è *Steambrorum* gente, cui
Babylinus nomen. Eo ex matrimonio
 natæ duę ples, quas marito annuete,
 milit

cap. 4.

misit patri filia, vt sanctè ab eo edu-
 carentur, & Deo, si videretur, in lo-
 cum, quem ipsa olim respuisset; con-
 secrarentur. Omnibus vero tam vi-
 ris quam virginibus præerat exem-
 plo, totiusque operis molitione ac di-
 gnitate *Romaricus*: sed sacerdotali au-
 thoritate *S. Amatus*, cuius consilio &
 nutu agebat *Romaricus* omnia: & ab
 iis, virginibus omnibus præposita
 pia, prudens & grauis fœmina *Macte-
 fledis*, Abbatissa prima, cuius, post bi-
 ennium, morientis anima in cœlum
 visa, stellæ instar, euolare, ipsique in
 eodem munere successit filiarum
Romarici altera, *Segeberga* seu *Clara*,
 quæ & *Cæcilia* in M. S. interdum vo-
 catur, nescio an ob cœcitatem, quam
 ob assiduas in precibus lachrymas
 incurrisse ibidem scribitur. Post hanc
 vero Abbatissa tertia fuit *Gebe-
 trudis*, de qua paulo ante
 Sancti neptis.

(:)

CAP.

C A P . I X .

Et bonis ac possessionibus suis quantum excitato à se Monasterio dederit S. Romaricus.

M Vltæ Romarico in Gallia possessiones & in Lotharingia vtraque, inferiore nimirum seu antiqua, quæ vel Mosellanici ducatus erat, vel eius certè pars non exigua; & in superiore seu hodierna tribuuntur. Et harum, quidem possessionum magnam partem, quæ Voségi montibus ad primos fluuij Mosellæ cursus continetur, suis istis coenobiis attribuit, ita ut in eo tractu, qui *Vauldaio* aut *Vaulx de Ju* dicitur hodie, id est, *Vallis Iura*, inueniri dicantur duo & quinquaginta *banna* seu communitates, quæ *Auendunensi Dei domui* assignatæ, præter opes ac redditus, qui aliis etiam ex locis additi. Cum verò, sanctæ quietæque solitudinis desiderio, Meten-

M. S. L.

2. C. 4.

In Vit

S. Ar-

n. 113.

10. 4.

H sem

114 ROMARICI COMITIS

fem Episcopatum deseruisset S. Arnolphus, ei aptum in Vogefana eremo locum apparauit Romaricus: qui & morienti illi adfuit, mortuoque parentauit honorificè. Dixerat verò moriens Romarico: *Bone vir, & Deo amabilis, ora CHRISTVM pro me. Iam enim adest dies, in quo Iudici meo presentabor.*

CAP. X.

De S. Romarici lapsu, in quem schismatici eiusdem fraude impulsus fuerat.

Sancti sunt, qui vel innocenter ac sanctè vita sua tota vixerunt, vel certè ad sanctitatem per poenitentiam redierunt, in eaque diem clauserunt extremum. Et ad hoc posterius genus sancti pertinent *Amatus & Romaricus*. Agrestius enim quidam, olim Theoderici Regis notarius, post in Luxouienfi cœnobio Monachus,

chus, tandem verò etiam schismaticus; asceticas D. Columbani regulas ac instituta vehementer accusare, passimque criminari cœpit, sic ut Episcoporum eam ob rem Synodus *Matiscone* fuerit. Sed in ea ille vanitatis à S. *Eustachio*, de quo supra, conuictus, & ad Dei tribunal inuitatus, respicientiam tum simulavit: sed in cœpta aduersus S. Columbani disciplinam calumnia perrexit, & omnium quos potuit, insigni versutia, & nonnulla qua pollebat, linguæ volubilitate sollicitavit animos, nonnullosque decepit, & in his fuere *Amatus* & *Romarius*: quod totum eius, qui temporibus turbis, que istis vixit, scriptoris valde boni, lonæ verbis operæ pretium est referre: *Agræstius*, inquit, *interim manifestam insaniam metu verecundiæ continuit, nō tamen à malis penitus recessit. Cœpit namque postea tentare monasteria, & sub specie discipuli, precium proditionis taxare. Venit ad quendam virum*

H 2 vena-

venerabilem Romaricum, qui prima nobilitatis fuerat apud Theodebertum Regem, porro beati Columbani exemplo & Eustachij predicatione permotus, in Luxoviensi cœnobio monasticis institutis se subdiderat. Cum autem diu sub regulari tenore vitam ageret, post, Eustachio annuente, puellarum monasterium in fundo suo extruxit, in quo etiam regulam beati Columbani custodiendam indidit. Cumque iam multa religione polleteret, ad eum Agrestius pergit, sese subditum atque obedientem simulat, simulque Amatam, quem ibi Eustachius ob imbuendam regulam præfecerat, mollibus suggestionibus tentat. Eo namque tempore pro quibusdam rebus neglectis tam Amatus quam Romaricus, ab Eustachio obiurgati fuerant. Lesos ergo ut sensit, ut facilius exasperatas mentes suis assertionibus iungeret, quibusdam adhibitis stimulis id paulatim nitebatur, ut venenata verba sane mentes reciperent, & sic in contemptum regulæ B. Columbani, propriam vesaniam propagaret. Proh dolor, exitiabili suasionem ac

letifera suggestione insanus ille, sana ma-
 culauit. Nam abiectis institutis pristinis,
 rudibus plebem doctrinis instruere illi co-
 nati sunt: & educto iam antè, iuxta B. ^{Iob 26,}
 Iob, colubro tortuoso, manu obstetricante
 diuina, rursus Zelum inuidiæ admittere
 non metuunt. Deinde ad Burgundos foras
 dirigit iter Agrestius, vt eam quoque suis
 stimulationibus, si posset, macularet. At
 Christi virgo eum non fœmineo more, sed
 virili plane responsione confudit: Num
 tu, inquit, confutator veritatis & nouo-
 rum introductor argumentorum, ea cau-
 sa huc venisti, vt veneno tuo dulcia mella
 misceres, & vitalia alimenta letali ama-
 ritudine commutares? Illis tu derrabis,
 quorum ego virtutes experta agnouì, quo-
 rum doctrinã salubrem recepi, ex quorum
 eruditione multos cœlestia regna pene-
 trasse comperi? Meminisse te velim illius
 Esaie: Væ qui dicit malum bonum, & bo-
 num malum. ^{Vsa. 5.} Accelera, & prorsus ab hac
 vefania festinus recede. Confutatus ille
 his CHRISTI famulæ responsis, rursus
 ad Romaricum & Amatium repedit, vt

ob in-
 linatio.
 rem ad
 schisma
 ra &
 dissensio
 nes mul-
 tplex a
 deo & in-
 lecta.

ceptam deceptionis rugam foueat & con-
 trahat. Sed non defuit ultio diuina. Cum
 enim ad hoc iam omnes adspirarent, vt
 contempti pristinorum documentorum
 subscriberent, & assensores se præberent:
 primum lupi rabie exagitati, duos ex
 huius assertionis fautoribus, per intem-
 pestam noctem intra septa irrumpentes,
 morsibus laniant, atque ipsos quoque
 rabie comprehensos, miserabiliter mor-
 ti tradiderunt. Alium quendam Pla-
 reium, qui ad hunc discordiæ fomitem
 vehementer adspirabat, demoniacus fu-
 ror persuasit, atque ignobiliter neci de-
 dit. Nam propria manu ipse se laqueo
 suspendit. Sed cum hæc ultio nondum
 corrigeret delinquentes, protinus ma-
 ior secuta est. Nam subito fulgur la-
 psum è cælo magno fragore percutit lo-
 cum, Ecclesiam peruagatur, tegumen-
 ta subuertit, plebem vrit & exanimat,
 scilicet vt præsens correctio illi, que ni-
 mia simplicitate præueniente, callidi-
 tate euersa, ignaue persuasioni assen-
 sum præbuerat, monstraret futuram
 debe-

debere iram fugere. Mortui ad præsens sunt vsque ad viginti. Deinde metu percussos paulatim mors rapuit, vt ex ea vltione vt aiunt, amplius quam quinquaginta extincti sint: autore quidem criminis ad pœnitentiam reseruato, vt si agnoscat & redeat, procul dubio sanitatem recipiat. Nullum etenim Dominus perire desiderat, sed semper, quamuis grauibus delictis obrutum, vt per pœnitentiæ fomenta respiscat, expectat. Sed cum ille sæpius sibi datum pœnitentiæ locum non agnosceret, vt B. Eustachij sententia, ad diuinum iudicium ipsum vocantis, præualeret, ante triginta dierum circulum, priusquam ventis anni meta compleretur, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus, interiit. Occasio criminis dicebatur, vxoris permixtio. Quod quamuis multi dixerint, & pro vero asserere voluerint, nostrum tamen affirmare non est. Cuncta enim, iuxta Salomonem, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum:

& secundum Apostolorum; Vniuscuius-
 que opus quale sit, ignis probabit. Hoc ta-
 men nobis dicendum est, iustam eum sen-
 tentiam diuini iudicij ferire non distulisse,
 vt & assentatores siue asseclas eius ces-
 sare à lacerationibus famulorum Dei ad-
 moneret, & ille per contumaciam admis-
 sa scelera merita ultione lueret. Codex
 tamen M. S. totius quidem funestæ
 huius narrationis mentionem nul-
 lum facit, sed pœnitentia ductū Agre-
 stium significat, cum eum innocentem
 occisum, ideoque & martyrem dicit,
 cuius corpus in sancto adhuc monte
 quiescat.

4. S. l.
 c. l.

C A P. X I.

*De S. Romarici per pœnitentiam re-
 surrectu, sacerdotio, & profe-
 ctione Romana.*

Sed quicquid de Agrestij resipif-
 centia fit: resipuerunt certè ac pœ-
 nitentiam egerunt *Amatus & Roma-
 ricus*. Noluit enim Dominus, quos ad
 tam

ram bonum Euangelij sui odorem,
 tantam Christianæ perfectionis lu-
 cem, tam multorum salutem excita-
 rat, aliena vero nequitia & improbi-
 tas circumuenerat, deserere: sed eos, *Matti*
 vt S. Petrum itidem prolapsum, mi- *26.*
 sericordiæ suæ oculis clementer a-
 spexit, saniolemque iis mentem inie-
 cit. Pergit enim laudatus auctor lo-
 nas, & inquit: *Amatus vero & Romari-*
cus venerabilis Eustachii veniam postu- *Sur. sa*
lantes, recepti sunt, & submoto dissidio, *mota*
eius fruuntur gratia. Sicque Diaboli *fidia.*
 occursum infidiis, qui tam præclara
 cœpta impiè disturbare ac penitus e-
 uertere sperarat. Nunquid, ait Pro- *Pf. 40*
 pheta, qui dormit, non adiciet, vt resur-
 gat? Sapienter ac benignè admodum
 fecit Dominus, cum nobis adeo in-
 firmis, & ad casum pronis non inno-
 centiæ tantum, ac summæ, perfectæ-
 que virtutis, sed pœnitentiæ item &
 correctionis exempla suis in sanctis
 procurauit. Certè in S. *Amati* vita ve-
 tus auctor apud Surium Tomo 5.

H 5 die

die 13. Septembris, de poenitentia, quos fecit Sāctus hic, & ad eius tāquā Magistri sui exēplum, ipse, ut opinari est; S. Romaricus; fructibus narrat sic: Post paucos dies coram fratribus culpas suas, quas se admisisse meminit, voce publica confessus est, in cilicio & cinere prostratus. Cum igitur in ea esset poenitentia, incommoda corporis affectus valetudine, perpetuo cruciabatur dolore. Sed ille sciens tempus adesse, quo ipsius peccata purgarentur, in illis doloribus mirifice exultabat. Iam annum in eo cilicio & cinere egerat, die ac nocte iugiter precibus vacans, cum prae nimio membrorum cruciatu, cute & carnibus exesis, nuda ossa paterent. Interim ille nihilominus cum lacrymis semper Domino loquebatur. Cum autem finem adesse sentiret, cuidam fratri ait: Affer epistolam Leonis Papae, quam ille ad S. Flavianum scripsit, in qua Catholicae fidei plenissima ratio continetur. Allata est epistola, & cum illi legeretur, ita dixit: Sic credo, ō TRINITAS ineffabilis: ita confiteor Deo omni-

P. 206.
13.

omnipotens: ita de te sentio, Fili Dei CHRI-
 STE IESV: sic de te intelligo, SPIRI-
 TVS SANCTE, æterne DEVS: atque
 ita vnum DEVM in TRINITATE, tri-
 numque in vnitatem confiteor. Cum autem
 summa esset humilitate præditus, indi-
 gnus se putavit, qui intra Ecclesiæ septa
 sepeliretur. Iussit igitur fodi sibi sepul- *M. S.*
 chrum in ipso aditu basilicæ matris Dei, *l. c. 4*
 & hoc epitaphium, quod ipse composuit,
 ei imponi: Omnis homo Dei, qui in hunc
 locum sanctum ad orandum introieris, si
 merueris obtinere, quæ postulas, pro ani-
 ma Amati pœnitentis hic sepulti, Domi-
 ni misericordiam deprecari digneris: vt
 siquid mea paruitas de meis peccatis ob-
 tinere non potuit tepidè pœnitendo, ob-
 tineat vestra tantorum charitas, se-
 dule Domini misericordiam deprecando.
 Post Beati vero Amati mortem, *M. S.*
 quæ 13. Septembris memoratur, ad *3 c. 6*
 sacerdotalem capessendum ordinem,
 quæ demisso hactenus animo renue- *ibid.*
 rat, progressus est Romaricus, & postea, *l. 4 c.*

vt

vt se suaque omnia sanctæ Apostolicæ sedi subiiceret, eiusdemque patrocínio ac tutelæ suum istud cœnobium, amplissimasque ipsi abs se datas possessiones ac redditus committeret, *Romam* profectus est.

CAP. XII.

De morte S. Romarici.

1. S. l.
c. 7.

1. S. l.
c. 2. l.
c. 5.

Post varios in Domini cultu labores, ætate admodum iam grandis, plenusque dierum, feбри correptus est, cumque ea magis ac magis intenderetur, suos quos spiritu pepererat filios, filiasque omnes ad pietatis, perfectionisque amorem, accuratam religiosæ vitæ normam, in eaque perseverantiam cohortatus, *Eucharistie* SS. Sacramentum accepit, & die quidem Dominica, quæ vt Martyrologia significât, vel erat dies VIII. Decembris, vel ei certè proxima; è corpore lætus ad eum abiit, qui pro tantis relictis opibus, honore ac dignitate

SAN-

tanta contempta, centuplum ei promiserat, relicto successore, qui Luxovij Monasticen didicerat optimè, *Mar 1*
Adelphio nepote, qui & ipse post triennium mortuus est, die II. Septembris in eodem Luxovienfi monasterio, cum eò iam æger, pietatis causa iisset. Ac primo quidem in B. Virginis oratorio cum S. Amato sepultus Romaricus: Deinde in magnificum S. Petri templum, quod ultra Mosellam hodie visitur, translatus fuit. Cum enim barbara & ingens *Hunnorum* *M. S. an. D. 904.* multitudo partes eas, vti & alias complures depopularetur, in sancti quoque *Romarici* cœnobia tam virorum quam virginum deservit admodum. Sed postea consilio & prudētia *Theodorici* *M. S. 4. c. 4.* Syndici, liberalitate verò ac munificentia *Ludouici tertij* *At 87 regua bat.* per amplum vnum, quo virgines simul omnes caperentur, ultra Mosellam augusto cum templo, quod S. Petri dicitur, exstructum fuit cœnobium: & in hoc religiose translata simul

Sanctorum *Romarici, Amati, & Adelphi*
 reliquiarum die 17. Maij sub annum Do-
 mini 910. presente Tullensi Episcopo
Drogone, & postea rursus, maiore
 adhuc auctoritate, iidem in Diuorū
 catalogum relati, & honore sanctis
 debito affecti per *Leonem IX.* Pontifi-
 cem, cum *Tullum* venisset, & *Vdonem*
 Tullensis Ecclesie primicerium eam
 ad rem in cœnobium istud misisset.
 Et ex eo tempore per varias rerum
 temporumque vicissitudines mansit
 ad hodiernum vsq; diem antiquita-
 te, virginumque nobilium frequen-
 tia & insigni opulentia inclytum il-
 lud cœnobium, opido auctum & cin-
 ctum, quod à Sancto ipso, *Romarici-
 mans* appellatur, cui per eiusdem san-
 cti, eiusdemque Magistri S. *Amati*, &
 Nepotis B. *Adelphi* preces, sancta &
 fausta precor à Deo omnia.

G. P. F. S. S.

Amen.

NO-

NOTATIONES
INS. ROMARICI VITAM.

In Caput I.

ATemporum illorum scri-
ptore Iona in S. Eusta-
chij vita c. 5. dicitur S. Ro-
maricus *primæ apud Theo-*
debertum Austrasiorum Regem nobili-
tatis. In vita S. Amati p. 205. cap. 8. a-
pud Surium tom. 5. die 13. Sept. *Vir*
nobilis in palatio, & in populo honora-
tus Romaricus. Sed cum multorum è
Theodeberti Theodericique regnis
Principum fiat in Aimoino lib. 3. à
cap. 83. ad finem vsque mentio, nul-
la tamen aut *Romulphi* aut *Romarici*
est. In Domino de Rosieres tomo 5.
stemmatum Lotharingiæ p. 288. vo-
catur *Auendi Comes.* In Turonensi lib.
9. cap. 30. *Romulfus est palatij Comes a-*
pud nominatorum iam Regum pa-
træm Childebertum, & lib. 10. cap. 19.
Lupi Campanensis Ducis, de quo lib. 7.
epi-

epist. 7. & sequentibus Venantius; *fi-
lius* sed si iste idem cum priore illo
fuit, certè à nostro diuersus est, quia
ibidem, cum iam presbyterij honore
preditus esset, Aegidio Rhemensi Archie-
piscopo successit. qui apud Venantium
lib. 3. cap. 18. Igidius vocatur & apud
eundem lib. 10. ca. 16. Romulphus Rai-
nulfus legitur. Romulida vero seu Ro-
milda fuit iisdem temporibus alia
Gisulphi Longobardorum Ducis cõ-
iunx, quæ impudica ipsa pudicissimas
filias habuit, vt est apud Aimonium
lib. 4. c. 5. è quo etiam lib. 3. ca. 86. in-
telligitur, quod lib. 2. cap. 3. ait M. S.
Brunichildem Romulphi consilio è Theo-
deberti regni expulsam: & cur eadem
solicitante idem postea sit à Theode-
rico interemptus, ita vt in eorum
numero Ducum sit, quorum innu-
merabiles strages, decemque Regum
neces obiecit illi iam captæ apud eũ-
dem Aimonium lib. 4. c. 1. Clotharius
Rex, Theoderici, ideoque & Theo-
deberti successor. De Tullensi vero in-

ter hosce fratres *prælio* multi, vt ipse
 Aimoinus l. 3. c. 96. dicens in vtriusq;
 regni anno 17. accidisse, A do in Chrō.
 p. 187. Moguntiacorum liber 2. ca. 18.
 Ionas in S. Colūb c. 30. Filij Theodeberti
 nominantur à M. S. lib. 2. c. 4. *Sigebertus*,
Guntrannus, *Lotharius*. è quibus
 duo posteriores Metis occisi. Effugisse
 dicitur primus Sigebertus, qui in
 Germania moratus est, Clotarij ve-
 ro ac Dagoberti concessu, Basileam,
 Constantiam, aliaque loca tenuit. è
 quo filius Theodebertus seu Otber-
 tus, è quo *Comites Habspurgenses*, de
 quibus paulo post.

Vogesi] apud Aimoinum sæpe *Vog-*
segus, apud Turonensem lib. 10. c. 10.
Vofacus, in S. Arnulphi vita *Vogasus* &
Vofagus; vt etiam apud Venantium
 lib. 7. epist. 4. Ionam in S. Columbæ
 vita c. 6. hodie *Vofge*, & montis eius
 incolæ, accolæque *les Vosgiens*, *Vofe-*
gani aut *Vogefates*. Grammatici cer-
 tant de his *Luçani* lib. 1. versibus.

*Castraque Vogesi curuam super ardua
ripam*

*Pugnaces pictis cohibebant Lingones
armis.*

Mosella.] Eius fluij Poeticum hym-
num cecinit nuper Gallicè D. Geor-
gius Aulbery Caroli III. Lotharin-
giæ Ducis Secretarius: sed Latinè iam
olim Ausonius edyllio 10. Venantius
Fortunatus lib. 3. epist. 10. l. 7. epist. 4.
& 12. lib. 10. epist. 12. qui fere *Musellam*
scribit, & nominis originem ducunt
ab Hebræo fonte quidam: sed litte-
rato tantum, vti quidem reor, ioco
qui & lepidior forte fuisset, si ob Vo-
gesi rupes, addidissent petrâ Hebræis
dici *sela*; & *Moyesen* Philoni ac Iosepho
dictum videri à *mos* vel *mo*, id est, a-
qua. Το γὰρ ὕδωρ, μὴ οἱ Αἰγύπτιοι καλῶσι.
ait iste li. 2. Archæol. c. 5. & li. 1. contra
Apionem. Quin & hodie Tartari qui-
dam vocantur *Mogli* vel *Mongli*, id est,
aquatici, vt in Pandectæ ait Leuncla-
uius p. 200. & Leodienses *Moy* dicunt,
quem alij *moilly*, id est, madidum.

Eun-

Eundē fluviiū esse Obrincum ostendi
lib 1. Moguntiacorum cap. 13. idemq;
postea in Io. Piemontani manuscri-
pto li. 3. de Trithemij laudibus reperi.

Habsburg] ita M. S. libr. 2. c. 4. vbi ab
isto castro & nomen & similitudinem
arcis illius, quæ ab Theodeberti alias
Otberti posteris prope Rünigsfeldam
ædificata, ductam refert, indeque (li-
cet videatur nō nihil dissentire stem-
matum Lotharingæ Auctor tomo 5.
p. 289.) *Habsburgenses Comites*: è qui-
bus per *Rudolphum primum* hodierna
præcelsæ Austriacæ Imperatoris do-
mus nobilitas. Nam *dunum*, quod ar-
cibus, vrbibusque multis tributum
(vt *Augustodunum*, *Lugdunum*, *Se-
dunum*, *Viridunum*) *tumulum* aut
montem olim significavit, prot fe-
rè apud Græcos ita vt sit aut *berg*
ut *burg*. Nam in tumulis & monti-
bus *Burgi*. de quibus *Orosius* l. 7. c. 32.
& ego in *S. Kiliani* notis c. 7. Prior ve-
ro *Auenduni* aut *Habenduni* pars fre-
quenter, & maxima l. 2. c. 4. in M. 5.

I 2 duci-

Vnde
habsp.
gensu
Comi
tum,
Imper
torum
Archi
ducum
que A
striae
rum f
milia.
Dunu
quid.

ducitur ab Amberto, vel Ambrone
 Clodouei II. filio. Sed quid si eadem
 ei origo, quæ *Auenno* vrbi de qua Tu-
 ronensis? Quid si ab *Habichy* id est, ac-
 cipitre, vel quia arx in montis apice
 tam alta, vt vix videatur altius vola-
 re posse accipiter, vel quia *Vogesus*
 mons, & castrum illud ad venationes
 commodissimum. Illæ siquidem Re-
 gibus & Imperatoribus illic frequen-
 tes, vt ostendit lib. 10. c. 10. Turonen-
 sis, *Aimoinus* lib. 4. c. 8. & 109. Ve-
 nantius lib. 7. epist. 4. *Ardennæ*, an *Vo-*
sagi, *cerui*, *capra*, *helicis*, *vrſi* *cade* *sagitti-*
ferâ *sylua* *fragore* *tonat*? *Accipitrum*
 autem ad venandum vsus, nemini
 ferè ignotus. Vnde *Guntchramnus*
 ille *Boso* apud *Turonensem* lib. 5. c.
 14. *Meroueo*. *Veniant equi nostri. & ac-*
ceptis accipitribus cum canibus exercea-
mur venatione.

IN CAPVT. II.

Romaricus interdum *Rumericus*
 scribitur, vt apud *Aimoinum* lib.

4.c.19. *Rumerici Castellū. Multa in ri-*
cus aut richus olim defierunt, definūt-
que nunc nomina, vt Amalaricus,
Bertricus, Childericus, Fridericus,
Henricus. Diues verò Germanis est
Retch/ Gallis riche/ Italis & Hispanis
rico aut Richo. De S. Arnulpho Aimoi-
nus l. 4. c. 1. Paulus Diaconus l. 6. c. 5.
Otho Frising. lib. 5. c. 9. Dagobertus ad-
modum puer, educatus à B. Arnulpho
maiore domus, qui postea Metensium E-
piscopus fuit. Martyrol. 16. die Augu-
sti, & Surius eodem die, Tomo 4. vbi
inter alia p. 724. sic: Per id tempus erat
in Regis Theodeberti ministerio Roma-
ricus, vir egregius, qui Arnulphi cognito
desiderio, sancto & familiari ei affectu
iungebatur. Itaque communicato inter se
consilio, iuxta præceptum Domini dicen-
tis Matt. 19. Vade, vende omnia & cæt. re-
licis omnibus ad Lirinense monasterium,
propter CHRISTVM, peregrè proficisci
statuunt. Sed hac in re, vtriusque deside-
rio Altissimi voluntas obstiit. Neque e-
nim fas esse censuit omnipotens Deus, vt

hi duo viri, qui postmodum, seu lampades
duæ fulserunt in seculo, sub medio occul-
tarentur.

I N C A P. III.

AD Brunichilden, eiusque nepo-
tes extant S. Gregorij epistolæ li.
5. epist. 15. 58. 59. de eaque Fortuna-
tus, maximè lib. 6. Ionas in S. Colūb.
c. 18. 19. 30. 31. Iste vero *Aridius*, Epi-
scopus fuit Lugdunensis, qui B. *Desi-
derio* Viennensi Episcopo exilij, mor-
tisque causa cum eadem Brunichil-
de, quæ ab illo de variis arguebatur
criminibus, extitit, vti ab Aimoino
scriptum libr. 3. cap. 89. 92. Adone in
Chron. p. 187. Martyrol. d. 23. Maij.
Et de eodem rursus Aridio Aimoi-
nus c. 93. l. 3. qui ab optimo illo valde
diuersus, de quo lib. 10. c. 29. Turo-
nensis. Vide & Venantiū li. 5. epig. 20.
Veneno] Aimonius l. 3. capit. 99. li-
cet Auentinus lib. 3. scribat: *Theoderi-
cus dum Mediomatricum urbem ingredi-
tur, de caelo fulmine tactus interit, Ionas*

l. 1. c. 31. Theodericus, diuinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est.

IN CAP. IIII.

A selbergam] Ipse Romaricus in suo diplomate, quod apud Dominum de Rosieres tomo 5. p. 288. est; vocat primogenitam suam *Gerdrudem* Abbatissam, eiusque sororem *Claram*. Vnde l. 4. ligni vite Arnoldus V Vion p. 554. *Gertrudem* Romarici filiã, primam illius loci Abbatissam vocat. *Eustasius*] Eius extat vita, prout antè in cap. 1. significauit. Anniuersaria memoria in Martyrol. die 29. Martij. D. V. Velferus li. 4. rerũ Boicarũ p. 220.

B. *Amatus*.] E Gratianopolitana ciuitate, Romanaque nobilitate hic, cum esset adhuc adolescens, à Patre, Augennensi S. Mauricij cœnobio munus Deo gratissimum oblatus est, inquit, ipsius apud Surium loco citato vita c. 1. in qua & eius iste ad S. Romaricum aduentus, & sermo describitur c. 8. To-

mo 5. Surijs p. 205. & M. S. lib. 1. c. 2. & 3. vbi narratur, quod in eadem vita est, quem admodum illinc à B. Eustachio Luxouium postea traductus.

Super mensa.] Bonus iste mos, vt à secularibus ad pietatis sermones inuidentur religiosi: & hos isti vltro etiam quærant, oportuneque inferant. Sic Turonensis lib. 5. ca. 14. *Quadam,* ait, die ad conuiuium eius (Meroyei, qui Chilperici Regis filius) *accitus,* dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi. Atque vt vnà cum corpore suum etiam cibum fumeret animus, plurimum bonæ ad mensam lectioni tribuere semper sapientes. De S. Augustino Possidius cap. 22. *In ipsa,* inquit, *mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem, potationemque diligebat.* Ipse verò Augustinus epist. 109. *Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite. Nec solæ vobis fauces sumant cibum*

zio
er
nsa.

cibum, sed & aures percipient Dei verbum D. Hieronymi secundæ ad Marcellam epistolæ initium est hoc: Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius & Chalcenterus noster explicauit; in quadam epistola quam ad eundem de Athenis scripserat, refert, nunquam se cibum, Origene presente, sine lectione sumpsisse. Sic & sanctus egit Nicolaus, S. Benedictus c. 38. alij, de quib^o l. 4. Instit. c. 17. Cassian^o. Sic Esseni, de quibus Philo, & ego libr. 3. Trihæresij c. 16. nu. 25. Sic è Gentilibus etiam Plinius secundus Plinio altero epist. ad Marcum testante. Quid Imperator Carolus Magnus? Inter coenandum, ait Eginard. aut aliquod acroama, aut lectionem audiebat. Legebantur ei historiae, & antiquorum Regū gesta. Delectabatur libris S. Augustini & c. Videatur Toletanum Concilium 3. c. & ex eo canon Pro reuerentia dist. 44. vbi sic: In omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarū scripturarum misceatur. D. Bernardus ad

I 5 fratres

138. ROMARICI COMITIS
fratres de mōte Dei & in Apologia ad
Guilel. Turrecremata in S. Ben. Reg.
tract. 101.

IN CAP. VII.

Ex instinctu diuino B. Amatus vna cū
Romarico discipulo suo Monasterium pu-
ellarum condidit, ait S. Amati vita c. 8. &
de XII. Virginibus in VII. cœnobio-
lis c. 11. Otho autem Frisingensis li. 5.
c. 7. S. Columbani Discipuli, clarissimi re-
gni CHRISTI ciues fuere Leodegarius,
qui postea Antisiodorensē regens Eccle-
siam martyrio coronatur: Romaricus, qui
in monte, qui ex nomine suo mons Roma-
rici dicitur, sanctimonialium nobile fū-
dauit cœnobium: & Gallus, qui in Sueuia
in territorio Constantiensi resedit. De iis-
dem li. 3. Auentinus. Theodopertus ho-
norifice Columbanum cum sociis Roma-
rico, Gallo & Leodegario excipit: ipsis in
regno suo, quamcumque optant sedem of-
fert. Et postea Columbanus & socij Mo-
guntiacum concedunt expectaturi euen-
tum Martis. Ibi pro Theodoperto depreca-
ri Christum Q. M. non cessant. In hisce
tamea

tamen sociis nondum tunc erat Ro-
maricus. Moguntinus vero Episcop^o
à quo perbenigne acceptos illos nar-
rat in S. Columbani vita Ionas; fuisse
videtur *Ludegastus*. de quo lib. 2. Mo-
gūt. c. 19. aut certe ipsi, p^rimus aliquis.

IN CAP. VIII. & IX.

S. Amatus apud Suriū loco citato,
vocatur *Presbyter & Abbas monasterij*
Romarici. De *Maçteslede* narrantur ea-
dem apud eundem capi. 9. De S. Ar-
nolphi Metensis tum Episcopi secef-
su est in citata eius vita sic: *Vir egregius*
Romaricus à partibus Vogasi egressus ad B.
Arnulphum venit: & vrroque in id con-
sentiente, in vasta eremo illi locum prepa-
ravit. Tom. 4. Sur. p. 727. vbi additur
quemadmodum graui exorto Metis
incendio, equos ad fugam sancto illi
obtulerit Romaricus: ille vero recu-
savit, sanctæque signo crucis ignem
totum restinxit. Post sanctam verò
eius mortem, subditur ibidem: *Vir*
egregius Romaricus eius sanctissimum cor-
pus, quo potuit honore in castello, sepultu-
ra mandauit.

LE

IN CAP. X.

Agrestius à quibusdā Agrestinus scribitur vt ab Auentino lib. 3. vbi hæc: Agrestinus discipulus superioris Eustachij Boios adit, sanctas literas in Boiaria docuit. Conuentus sacerdotum coacti sunt aduersus Columbari & Galli nouas ceremonias, quibus populum CHRISTI sanguine redemptum, liberatumque in seruitutem redigere contra maiorum instituta conarentur. Ita scilicet, loquebatur Agrestinus hic, de quo sacerdotalium illorum cōuētuum iudicium quodnam fuerit, exprimere debuit scriptor ille merito, prout fecit Dominus Marcus Velferus li. 4. Boic. rerum p. 220. dū leuo successu & sine fructu apud Boios versatum ait, seq; cum illis coniunxisse, qui ab Ecclesia Romana dudum aperte desierant. De Burgundofora dixi iam alias in S. Kilianum notatione 20. sed hic obseruandum, imitatā ipsam, si non superasse præclarum B. Paule contra hæreticos accedentes exemplum, de quo in illius Epitaphio S. Hieronymus

mus

mus. Eandem putat Rdis. Tomo 8.
cum *Fara*, de qua lib. 3. hist. V. Beda, &
Trith. l. 3. de V. il. Ord. Ben. c. 65. 68.

I N C A P . X I .

De hoc lapsu neq; in B. Romarici
manuscripto, neque in B. Amati vita
quidquam, cum tamen, vt recte ob-
seruat Tomo VIII. Reuerendissimus
Baronius in anno 617. *ad maiorem Dei
gloriam, maioremque ipsius Ecclesie uti-
litatem istiusmodi exempla pertineant:
quod raro contingat, redeuntem ab heresi
sive schismate dignè poenitere. Vide S.
Augustinum conc. 1 in psal. 101. & ho-
mil. 21. D: Chrysoft. homil. 77. vbi cō-
tra eos, qui Dauidis lapsum abscon-
debant; Hi, ait, eius virtutem obumbrāt,
& non minimis eum priuant coronis, quē-
admodum qui eius contra Goliath bellum
reticent. Epistola Leonis ad Flavianum
summo apud omnes in precio sem-
per fuit, ita vt eam legerent, exscribe-
rent, fecū ferrent plurimi: & ea in Ful-
dæ vidi in S. Bonifacij Codice, de quo
dixi lib. 3. Mogunt. p. 556. & seq. Ana-
the-*

themate damnandum ait Gelafius
 Pontifex c. *Sancta Romana* dist. 15. qui
 vel vnū illius iota disputaret, seu in du-
 bium reuocaret. *intra Ecclesia septa*
 Sitne Christianis vtile in templis, seu
 sanctorum basilicis sepeliri, tractat S.
 Augustinus lib. de cura pro mortuis
 dicitque cap. 5. esse id vtile, quia vi-
 uorum sic precibus magis iuuantur,
 dum vel Sancti pro ipsis orantur, vel
 ad maiore affectu pro ipsis orandum
 Deum excitat loci sanctitas Tandēq;
 c. 18. concludit : *Non existimemus ad*
mortuos, pro quibus curam gerimus, per-
uenire, nisi quod pro eis siue Altaris, siue
Orationum, siue eleemosynarum sacrifi-
cis solenniter supplicamus. Quibusdam
 tamen alia extra sacras ædes magis
 placuit sepultura, vel modestiæ ac de-
 missionis, vel causarum aliarum er-
 go. Et sic S. Amatus hoc loco, & Grego-
 rius Turonensis qui, vt lib. 4. de viris
 illustrib. Ord. Sanct. Bened. loquitur
 Trithemius, tali loco sepeliri voluit, vbi
 semper omnium pedibus conculcatur.
 Quid Constantinus Magnus? Eum, a-

it S. Chrysoftomus homil. 26. in 2. ad
 Corinth. magno se honore affecturum
 existimauit filius. si in vestibulis collocaret
 Piscatoris, id est templi Apostolorum
 quod Constantinopoli. Et rursus.
 Piscatores seu Apostoli, veluti ipsius loci
 Domini intus habitant: Reges vero tan-
 quam vicini & accolæ præclarè secum a-
 gi putant, si ianua ipsis assignetur vesti-
 bularis.

lib. Coll. s. h. p. ad
 IN C A P. XII.

Admodū grandis] Centum facile an-
 nos ei tribuere videtur M S. liber. Et si
 enim eius interdum suspecti sunt nu-
 meri, diserte tamen illum in Sigeber-
 ti, eiusque filiorum, deinde Clotarij
 & Dagoberti aula fuisse, Romæ à Pō-
 tifice Ioanne IV. per benignè acceptū
 esse, ad Vitaliani postea Pontificis tē-
 pora peruenisse lib. 3. ca. 6. memorat:
 & cap. 7. mortuum, cum regnarent
 Dagoberti filij, Sigebertus apud Au-
 strasios, Clodoueus apud Francos. Nul-
 lus tamen aut ortus aut obitus ab vl-
 lo asfertur annus certus. Claruit (in-
 quit

quit lib. 3. de viris illustrib. Ord Ben.
Trithemius) anno Domini 660. sed, vt
ex dictis patet, multo etiam ante. Mi-
grauit, inquit lib. 3. VVion, anno D.
plus minus 670. Sane minus, vt ex Vi-
taliani antea nominati annis patet.
Satis est, eum ante annos 925. primò
quidem in terrenorum; postea vero
in celestis Regis aula floruisse.


precor] Merito eum ei post incensæ
hostiliter ann. 1557. d. 23. Sept. patriæ
cineres, *τὰ θρωλίπια* debeam.

Plura porro de eodem sancto Vin-
centius in speculo lib. 23. ca. 72. & 73.
Petrus in Catal. lib. 1. c. 44. Trithemi-
us libr. 3. de V. ill. Ord. Bened. c. 90.
Martyrologiū Romanum die 8. De-
cembris, Rdiss. Card. BARONIVS
ibid. & tomo 8. Annalium. Dominus
de Rosieres Tomo 2. & 5. stemmatū
Loth. p. 92. & 288. Arnoldus VVion
lib. 3. ligni Vitæ p. 389. & 554. Lazius
lib. 1. Genealogiæ Austriacæ p. 109. &
122. vbi *famigeratissimum* nominat,
Cosmographia Mūsteri. li. 3. p. 438. alij.

G. P. & F. & S. S. AMEN.

*Collegii Socii Jesu paderbor
1699*










III

28

c







521

Th
2365